BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
9 G
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-2, C, 10

36 35
6 6

Digitized by Google

Digitized by Google

Collegium
POLITICO-JU-
RIDICUM.

Continens

Omnium generalium Politicarum materiarum brevem methodicam & perſpicuam; tam ex priſcis quam recentioribus Politicis, juriſq; civilis præceptis, propoſitionem, & ad Imperij noſtri Romano-Germanici faciem ac formã multorum locorum adcommodationem.

Ut Et

Illuſtriorum quæſtionum Juridicarum 243.
juxta Inſtitutionum Imperialium ſeriem poſitiones.

De quibus omnibus

Proponente Et Præsidente

JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi.

In alma florentiſſimaq; Roſtochienſi Academia
Nobiles aliquot, eruditi & SS. LL. ſtudioſiſſimi diſceptarunt juvenes

ROSTOCHI
Excudebat JOACHIMUS PEDANUS, Anno 1614.

Digitized by Google

Nomina Collegarum.

Michael Hagemeiſter Pomer.
Chriſtophorus Zaſtrow Nob. Pom.
Nicolaus Beſelin Roſtoch. Megap.
Ioannes Fridericus Linckius. Hagen. Alſ.
Edzardus Stamlerus Friſ. Orient.
Iohan. Hannemannus VVilſtriâ-Holſ.
Daniel Roſſovius Pomer.
Andreas Brummerus Stargard. Pom.
Henricus Beſelin Roſtoch. Megap.
Michael VValtherus Pom.
Chriſtoph. Albertus Linckius Hag. Alſ.
Henricus Tetzen Neobrand. Megap.
Chriſtophorus von Köllen Eq. Megap.
Eraſmus Rathlow Eq. Holſat.
Fridericus Munderich Neobr. Megap.

Illuſtri ac generoſiſſ: S. Romani Imperij comiti ac Domino,

Dn. ALBERTO;

Comiti in Hanavv & Rineck &c. Domino in Mintzenberg &c. Domino ſuo clementiſsimo.

UT ET

Magnificis, nobiliſsimis, ampliſsimis, conſulſultiſsimis eq; rerum civilium praxi & experientiâ clariſsimis & praſtanſtiſsimis viris,

Supremi Hanovici judicij præfecto, conſiliarijs & adſeſſoribus, graviſſimis digniſſimis, Mœcenatibus atq; patronis ſuis eximijs.

Salutem à Deo, pacem concordiam feliciſsimumq; regimen & gubernationem.

Tanta eſt, illuſtris ac generoſe comes, ut & Proceres magnifici ampliſsimi, in hoc ſeneſcentis mundi faſtuoſo ſeculo hominum ambitio, ut vix unus atq; alter, qui ſuo ſe pede metiri ſit contentus, vel lucernâ in meridiano ſolis æſtu accensâ reperiri poſsit: pleriq; enim vel leviter alicujus rei delibatis initijs, ſibi totius univerſi cognitionem tribuere, futile illud εὕρηκα effutire. & cunctos modeſtiæ fines ſacerrimos prætergreſſi, ſeſe omnibus alijs, tanquã de cœlo de lapſos & albæ, quod ajunt, gallinæ filios faſtu quodam intollerabili anteponere non verentur. Cui peſti ac malo pernicio-

Digitized by Google

ſiſſimo remedium vix aliud eſſe poterit, quam laudatiſſimum diſputandi & conferendi ſtudium: Id enim, præterquam quod contrarijs opinionibus tanquam cotibus ad invicem colliſis veritatem eruit, uti Arcad. in l. fin. §. 26. de mun. & hon innuit, ſolum eſt, quod Sciolorum præſumptionem detegit, detectamq; corrigit, ac emendat, teſte elegantioris diſciplinæ Magiſtro eximio Quinctiliano, dum ſcitè & prudentiſſimè lib. 1. c. 3. in hæc verba prorumpit: neceſſe eſt nimium ſibi tribuat, qui ſe nemini comparat. Quare merito nobile, illud exercitium multis jam ante ſeculis præclarè adinventum & quaſi per manus ab antiquis Dd. traditum, uti omnes aliæ Germaniæ ita & inprimis hæc noſtra alma Roſarum Academia, non ſine ſumma ſui laude, gloria perpetua, & evidentiſſimo juventutis ſtudioſæ commodo, quam diligentiſſimè cum publicè tum privatim urget. Verumenimvero ut nihil tam præſtans per ſe eſſe poteſt, quin temerario vaniſſimorum, hominum auſu corrumpatur: ita in laudatiſſimo hoc ſtudio in duplex inprimis vitium quam plurimos irruere ipſa teſtatur experientia. Sunt namq; nonnulli tantæ immodeſtiæ ut de re collaturi non diſputent, ſed anicularum modo ad ravim, quod dicitur, exclament & rixentur, ſicq; veritatem non prodant ſed perdant. Alij ejus ſubtilitatis vel potius curioſitatis, ut præſtigias quærere, & de umbra aſini ac lana caprina varias inutiles quæſtiones & dubia excogitare ac movere non erubeſcant. A quibus ſanè diverſum uti hactenus ſemper ſenſi, ita in præſentia, dum nobiliſſimorum doctiſſimorumq; juvenum aſſiduis precibus motus diſceptationes aliquot Juridico-politicas pro ingenij mei modulo colligerem, diceſſum feci. Eas enim juxta, Pauli JCti monitum in l. legari 25. in pr. ff. de liber. leg. de materijs quotidie occurrentibus, atq; adeò omnibus qui non, ſibi ac Muſis ſuis canere, verum in luce vivere, hominum habitare oculis, premere forum, conſulere alijs cupiunt, cognitu pernéceſſarijs, niſi in conſilijs dandis & negotijs alijs publicis aberrationes à ſcopo & lapſus turpes ac pernicioſos quã plurimos

facere

Digitized by Google

facere velint, conſcripſi, conſcriptasq́; placidæ velitationi, me ipſum & prædictos politiſſimos juvenes exercendi cauſa ſubjeci & publici juris feci. Generoſitati v. veſtræ, Domino meo clementiſſimo, vobisq́; viri Magnifici, nobiliſſimi & ampliſſimi, Mæcenatibus ac patronis meis jugiter colendis, ſubmiſſè & officioſe inſcribere libuit, non quod in ijs ſingulare & eximium tantisq́; viris dignũ quidpiam contineri exiſtimem: Sed quod G. V. VVq́; MM. AA. & EE. tanquam Magiſtratui meo, ſub cujus patrocinio natus, educatus, & quod præcipuum eſt bonis literis in Schola patria (quæ te comes clementiſſime cum G. V. Germano verè illuſtri ac generoſiſſimo comite Dn. PHILIPPO LUDOVICO *&c. laudatiſſimæ memoriæ, fundatorem benigniſſimum, vos vero Magn: Nobiliſſ. ampliſſimiq́; viri, adhortatores viſitatores & purgatores agnoſcit meritò) initiatus ſum, hunc qualemcunq́; laborẽ, & quæ à mea tenuitate proficiſci unquam poſſunt officiola alia debere me omnino perſvaſum habeam. Tu quæſo Comes gratioſiſſime illam mihi largire gratiam, quam Perſici reges ſuis quondam fidelibus exhibuerunt ſubditis, dum ab ijs munera etiam exigua ac vilia favente manu ac mente acceptarunt, vosq́; viri Magn. nobiliſſ. clariſſ. eam concedite benevolentiã & favorem, quem alij ex meis ſympatriotis experti ſunt quam plurimi, & hunc qualem qualẽ laborem certiſſimum humilimorum ac promptiſſimorum officiorum argumentum prebentem benignè & benevolè ſuſcipite, adverſus calumniatores defendite. De qua gratia & benevolentia minimè dubitans calamum hic ſiſto, ac illuſtrem domum Hanoicam feliciſſimè valere ac æternum florere, omnesq́; ejus proceres & conſiliarios quam diutiſſime bene ſupereſſe medullitus voveo. Scribebam Roſtochi ex meo Muſæo pridie calend. Octobr. Anno 1614.*

I. T. G. VVq; MM. AA. & CC.
Submiſsè & officiosè colens.

JOHANNES HENSLERUS
Solitarienſis.

Ad Humaniſsimum, Doctiſsimum & Præſtantiſsimum Virum,

Dnum. IOHANNEM HENSLERUM

Collegij Politico-Juridici Præſidem digniſſimum amicum & Convictorem meum longè gratiſſimum.

SI calamum doctus firmaret Apollo labantē
Noſtraq; Caſtalius tangeret ora liquor.
Laude HENSLERE tuum nomen ſuper æthera ferrem,
Verſibus & ſemper tu legerere meis.
Major at eſt noſtra tua laus modulamine Muſæ,
Plus ſatis eximium te tua ſcripta probant.
Non hedera appenſis opus eſt ad limina ramis
Dum vini color eſt optimus, atq; ſapor.
Hæc te permultis facit innoteſcere charta
Atq; tuæ eximiæ buccina laudis erit.

Honoris & amoris ergò adpoſuit.

M. JOANNES PELARGUS

HIc, ubi tremulis ſupinus undis
Megaleſpolicos pererrat agros
Varnus, Pieridumq; doctiores
Amico hoſpitio fovet catervas,

Spi-

Digitized by Google

Spinoſis timidas Roſis latentes,
Annum plus minus huncce literato
Beatiſsimus otio peregi;
Interimq; aliquot bonos ſodales
Vinclo amicitiæ mihi jugavi:
Hos, quos præ reliquâ mihi juventâ
Phœbeus calor eruditioq;
Claros conſpicuosq; reddidêre.
Inter hos, dubijs probate rebus
HENSLERE altius enites, caputq;
Effers, non minus ac mei ſodales
Excedunt reliquos tenebriones.
Quod ſi quis negat, is ſimul coruſcum
Negat luce meridiem carere.
Sed ſi quis tamen hoc negarit, ille
Hunc tuum aureolum legat laborem
Et ſi tunc nihilominus pudore
Enecto neget usq; & usq;, ſeſe
Oſtendet critico carere ſenſu.

Veræ & nunquam intermoritura amicitiæ
Ergò Roſtochio diſceſſurus reliquit.
ANTONIUS Geißheimer *Darmſtadinus*.

PAulum eſt quod tecum mi HENSLERE ego fabuler,
Et nunc in verſus animum laxem agitemq; meum.
Quid cenſes *artis* ſit *ſcribere*? ſi tamen artis
Scribere ſit, cur non edere ea ingenij eſt?

Ipſæ

Ipſe tibi ut præſis, ita vis prodeſſe: quid inde?
Crede mihi hoc purum eſt artis & ingenij.
Nam qui alijs malè vult, hunc invidia excoquit immò:
Bis meruit, benè qui vult ſibi, vultq; alij.
Ergo Polituris HENSLERE politule, pulcris
Macte polito *Themin*, macte polito *polin*!
Sæpe ſolœciſſat qui non eſt doctus in illis,
Aut ſecum maneat, & ſibi degat iners.
Et quid riſibile eſt, quid non plorabile in iſto
Qui neſcit quid ſit cum *ratione* catum?
Si tamen & bonus eſt *civis patris*; hoc ſcio cautè
Nil pote ferre boni, nil pote ferre mali,
Monſtra hæc tota putans quæ neſcit ab arte profecta,
In queis judicium vulgus habere nequit.
Iſta modis multis facis iſto inoleſcere libro,
Multa modis multis unde diſertus olet.
Ingenij princeps *Stagarita* non ita pulcram
Pulcra olfactandam tradidit arte polin.
Cognatam Themidi Sophiam, Sophiæq; Themiſtin
Nexuit attiguas non Stagirata Deas.
Dicam ſimpliciter: non niſû ſimplici gaudes;
Veſtiate ingenio ſemper ut apta geras.
Quoquo te videam, quo te intus & incute norim,
Auguror argutum te fore *Cauſidicum*!
Auguror: augurijs ſed tu Colophona ſecundis
Impone; ac arteis artibus ede novas;
Aſcendant alij ad tantas ut & artibus artes,
Quas ita profundis artibus eximijs.
Nè valeam, ni hederæ ac cathedræ dignabere laude,
Ut, nova quò parias, hæc nova repperias.
Repperias; etſi ſis, ô ſis, iſte, Cathedræ
Ac hederæ meruit qui iſtud in ante decus!

Amoris & amicitiæ conteſtandæ cauſa
faciebam

JOHAN BRAUNJOHAN
Oſnab. Weſtph.

Digitized by Google

EIDEM

Præſtantiſsimo & Doctiſsimo Viro

Dn. IOHANNI HENSLERO I. U.C.

Præſidi & authori collegij politico Juridici digniſſimo, contubernali ac amico ſuo uti certiſſimo ita plurimum honorando.

CVm mihi difficilis venam natura negarit,
Extorquere tamen carmina cogit amor:
Dum ritè Henslerus *Præcepta politica tradit,*
Edit & ingentis commoditatis opus:
Unde etenim nobis mens prudens, provida rerum
Notitia, hoc clarum conſpicuumq; facit.
Vnde etiam humanos prudentia dirigit actus
Subjicit ille oculis perſpicienda benè.
Mille locis quæ ſparſa legas collecta videbis
Hinc ſimul atq; ſemel ſingula noſſe potes:
Gratulor Henslero: *liber hic pol vindicat illum*
Invidiâ, hinc ſibi laus, gloria ſemper erit.
Da nobis patriæq; tuæ, populisq; remotis
Ingenui genij pignora plura tui.

amoris E. adpoſuit.

CHRISTOPHORUS Ad: F. von Köllen
Eq: Megap:

A *Aliud*

Aliud.

Aurora in roſeis cum fulget lutea bigis,
Colluſtrans radijs quidquid in orbe viget:
Mox per prata feruntur apes, alvearia læta
Dulci diſtendunt nectare, mella parant.
Sic quoq; Juridicis volitans HENSLERVS *in hortis*
Carpit humo violas, mellaq; grata legit,
Perluſtrat varium Themidos rus, Juris acutos
Rimaturq; apices, ſedulo & hoſce docet.
Atq; hoc præſenti monſtrat nunc ipſe libello
Quæ fugienda tibi, quæq; ſequenda tibi:
Huc ergo ſtudioſa phalanx, quæ legibus æquis
Invigilas, luſtrans nocte dieq; Themin.
Quæq; politeias ſtudium quoq; diſcis amanum,
Huc cito ferto pedem, huc accelerato gradum.
Ut videas quoſcunq; favos, quæ mella paravit
HENSLERUS, *clari ſtella coruſca chori.*
Talia ne credas, quæ Hyblæis montibus Idæ
Proveniunt, ſed quæ fert tibi rus Themidos:
Ergo quis te non memoret fidiſſime JANE
HENSLERE *ô animi portio magna mei.*
Hinc ibit varios paſſim tua fama per orbes
Atq; ad ſuprema hinc ſydera notus eris
Multa tibi certe debentur præmia: perge,
Solventur ductu ſcirpea jura tuo.

Autori & præſidi præſtantiſſimo, fautori & amico ſumme colendo L. Mq. faciebat

EDZARDUS STAMLER
Friſ. Orient.

Quod Summum

JEHOVA CÆLI TERRÆQUE
Dominus felix fortunatumq; eſſe jubeat.

Collegij Politico-Juridici privati.
DISCEPTATIONEM PRIMAM

DE
CONSTITUTIONE POLITICÆ.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS
ex octo priorum lib. 1. Inſt: Imp: tit. materijs, deſumptis.

In inclyta ac celeberrima Roſtochienſi Academia,

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,

PROPUGNABIT
MICHAEL Hagemeiſter
Pomer.

Ad d. 11. Jun. Anni 1614. horis locoq; cognitis.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

*FRATRIBVS MEIS MEDVL-
LITUS CHARIS.*

DNO. IOACHIMO } HAGEMEI-
DNO. LUCÆ } STERIS.

Offero Reſp.

Digitized by Google

CHRISTO JESU
Auſpice & directore.

DISPUTATIO POLITICA I.

DE CONSTITUTIONE POLITICÆ.

THESIS I.

CUm diſciplinæ politicæ tanta ſit præſtantia, ut eam maximè architectonicam, omniumq; auguſtiſſimam & utiliſſimam nominet *Ariſt. 1. Eth. Nic. 2.* eâq; præſtantiorem nullam hominem adſequi poſſe rectè tradat *Plutar. in Cat. Maj.* digniſſimam eam eſſe judicamus, quæ ab omnibus; & vel inprimis juris civilis; ſtudioſis, perquam diligentiſſimè cognoſcatur: illa n. ſola eſt, quæ cætus humanos conſtituit, gubernat ac tuetur, omnibus reliquis diſciplinis occaſionem legesq; quibus tradi doceri&ad humani generis uſum accommodari poſſint, demonſtrat, utq; tutó & in pace excoli & ad poſteritatem propagari queant hoſpitium & patrocinium præbet: Et ſummatim, illa eſt, ut *Senecæ* verbis utar, vinculum, per quod Reſp. cohæret, ſpiritus vitalis quẽ hæc tot millia trahunt.

2. Quare quamvis tanta ejus ſit varietas, ut certis cancellis & metis perfici, certis præceptis comprehendi, certaq; methodo tradi vix poſſe videatur: *Pet. Greg. Toloſ. lib. 1. de Rep. c. 1.* Non tamen abs re facturos nos arbitramur, ſi eam legitimis & inter ſe cohærentibus aphoriſmis ex *Ariſt. Platone, & recentioribus*, qui ad priſcorum illorum Philoſophorum inventa, non pauca adjecerunt, jurisq; civilis præceptis, excerptis comprehenſam, & politiæ noſtræ, ſeu juri publico, receſſibus imperij deſcripto, quantum pro materiæ ratione; noſtraq; tenuitate poſſibile, accommodatam, aliquot

quot deinceps diſceptationibus privatim ventilendam, breviter ſubjiciamus.

3. Uſurpatur autem, ut primò omnium homonymia excutiatur, vox Politica; alias abſtractè, & nihil aliud denotat, quam formam gubernationis, ſeu ordinem & conſtitutionem civitatis: ut cum quæro de politica, quæ ſit Roſtochl, nihil aliud quæro, quam qualis ſit ordo in adminiſtranda Rep: Roſtochienſi? quæ forma & ratio? alias concretè, & tum non ſolum denotat formam adminiſtrandæ Reip: ſed & certam hominum ſocietatem in aliquo loco habitantium: ut cum dico politiam Germanicam, intelligo gentem unà cum forma regiminis. *Plutar. in lib. de trib. Rerump. form. Lamb. Dan. 1. pol. Chriſt. 1.* Prior ſignificatio hujus eſt loci.

4. Cæterum Politica eſt ars benè conſtituendi & adminiſtrandi Remp: ſocietatem civilem publicam, non autem privatam & domeſticam, quam œconomica inſtruit, quamvis perperam in multorum politicorum ſcriptis illa quoq; confusè explicetur. *Keck. in præcog. pag. 14.*

5. Eſtq; duplex, communis ſeu generalis: quæ de ſtatu publico generaliter tractat: Et propria ſeu ſpecialis, quæ de ſtatu politico tractat in accommodatione ad certa & definita loca, tempora & perſonas. ut eſt politica Danica, Anglica, Germanica, Megapolitana, Pomerana &c. Ac duobus potiſſimum abſolvitur: primum eſt de ijs, quibus Reſp. conſtituitur aut regitur: alterum de ijs, quibus corrumpitur aut conſervatur.

6. De origine & cauſa efficiente politiæ ſeu ſocietatis civilis, quot & quam variæ olim fuerint opiniones; fictitiæq; poëtarum & aliorum narrationes, prolixè hic recenſere commodum non ducimus, videatur de ijs *Keck. antè all. loc. p. 9. & ſeqq.*

7. Inter omnes tamen aſſertionem Bodini *1. de Rep. c. 6. & 4. c. 1.* omnia imperia; vi, metu, fraude, fallacijs &c. primùm cæpiſſe colligentis, ſatis ſtrenuè etiamnum à multis præſtantiſſimis Politicis defendi videmus. an ſatis tutò? meritò dubitamus, quia non de medijs ac modis, quibus imperia coacta ſunt, diſputamus, non de urbium condendarum cauſa impellente prima, ſed de origine politiæ, quam naturæ hominis, ejusq; inſtinctui irrefragabili,

atq;

atq; ipſi adeò Deo tribuimus. *per ea quæ tradunt circa quæſtionem hanc politici communiter, & prolixè Dan. 1.pol.3. & poſt eum Keck. d.loc.*

8. Unde & reprehenſione digni planè ſunt ἀπόλιδες Monachi, Eremitæ & ſimiles, qui à civili ſocietate ſe abducentes in latebris ſuis deliteſcunt, occaſionemq; atrociſſima perpetrandi delicta, exemplo Caini, Davidis, Abſolonis, fratrum Joſephi, Lothi & duarum ejus filiarum aliorumq; innumerorum, ſolitudinem nempe eligunt, contra juſſum verbi divini. *Dan.2.pol.3. Schonb.1. pol.4.*

9. Utrum ante lapſum; ſeu in ſtatu innocentiæ futuræ Reſp. fuiſſent, non in eleganter hic quæritur? Et ab affirmativa ſaniorum Theologorum & Politicorum quare diſcedendum nulla ſvadet ratio: quin imo natura & finis cur homines conditi, neceſſariò important. Longè tamen ab hiſce noſtris quo ad media diſtincta & differens futura fuiſſet. *Keck. ante ad d. l. p.12.*

10. Objectum Politicæ docendi gratia diſtinguimus in internum & externum: illud artis & artificis dicitur, quatenus nempe politica ut ſyſtema conſideratur, & eſt modus artificioſus Remp: conſtituendi & adminiſtrandi: eò enim artifex omnia ſua præcepta dirigit. Hoc externum eſt ipſa Reſp. *Keck. d. l. pag. 2. Henn. Arniſ.1. pol.1.pag.32.*

11. Reſp. eſt hominum ſocietas, cætus ſeu multitudo, ex pluribus familijs domeſticis, & vel ad minimum tribus, certo ordine collecta & ad felicitatem publicam directa.

12. Ea dividitur in primam ſeu ſimplicem & ortam ſeu compoſitam. *Caſm. in doc. & vit.pol.Syſtem.c.65.*

13. Prima eſt, quæ conſtat ex domibus aliquot: Eſtq; vel vicus vel pagus.

14. Vicus eſt ſocietas ex paucioribus domibus collecta, naturæ maximè conveniens, *Ariſt.1.pol.2.* in eo n. una tantum eſt platea non plures: unde & in urbe ſumitur pro platea.

15. Pagus eſt ſocietas politica ex duobus vel pluribus vicis collecta. Sumitur à nobis vox hæc ſtrictiùs quam apud Hiſtoricos, qui pro magno diſtrictu ponunt, quemadmodum Cæſar Helvetiam diſtribuit in pagum Tigurinum Bernenſem &c. Talem paganam ſocietatem, hominibus paſtoribus, ſeu ex pecudum cura victum quæren-

22. Signa a. commodioris illius ſitus ponunt potiſſimum duo: 1. ſi ex terris nata & producta ſint benè picta, probè colorata & benè durabilia. 2. ſi multi pueri & ſenes vivaces, boni coloris, robuſti inveniantur. *Simanc. lib. 1. de Rep. c. 4.*

23. Partes urbis ſunt duæ: publicæ, quarum poſſeſſio & uſus eſt publicus & univerſis civibus communis: privatæ, quarum poſſeſſio & uſus privatorum eſt.

24. Publicæ ſunt, platea, ædificia & ſpatia publica.

25. Platea, quæ & vicus dicitur, aliâ tamen ſignificatione, quam ſuprà theſi 14. voce ſumptâ, eſt via publica ex utraq; parte ædificijs contiguis coarctata.

26. Numerus platearum certus omnibus civitatibus præſcribi nequit, ſed pro latitudine & magnitudine ſufficientes, paulò tamen latiores, tam ob pulchritudinem, quam ob commoditatem ad ſingulas ædes perveniendi, currusq; tranſvehendi, conſtitui, ſibiq; rectè, ut cives expeditiùs convenire queant, jungi debent. *Dau. 4 pol. 3.*

27. Ædificia publica ſunt vel principalia; eaq; aut informatoria, aut habitatoria, aut judicialia aut defenſoria, aut philacteria, vel ſecundaria.

28. Ad informatoria pertinent, Baſilicæ, in quibus collegia cathedralia, templa, curia ſenatus & conſiliariorum, cancellaria, ſcholæ.

29. Templa Impp. Arcad. & Honor. aſyla conſtituerunt, ut videre eſt *inl. 2. C. de his qui ad Eccl. confug.* An a. etiamnum inter Chriſtianos pro talibus habenda, & aſyla conſtituenda? indubium vocarunt maximi nominis Theologi, JCti, Politici. Nos rectè haberi arbitramur, dummodo non pateant injuriam facientibus; ſed paſſis *Nov. 17. c. 7.* ne ſint frequentia: nam & in Iſraëlitico regno ſenarium numerum haud excedebant. *Num. 39. 9.* Proderunt enim adverſus nimiam iram judicis vel potentiam adverſarij *arg. §. ſed & minor Inſt. de his qui ſunt ſui vel al. jur. ubi Dd. com. adde VVeſenb in Parat. C. de his qui ad Eccl. confug. Pet. Heig p. 2. q. 4. n. 424. & ſeqq.*

30. Ad habitatoria referuntur palatia & ſimiles ædes publicæ inhabitandi cauſa factæ. Item ædes commerciales, noſocomia, diverſoria.

31. Ad judicialia refertur dicaſterium, ſeu curia judiciaria, ad quam pertinent, tribunal, cuſtodia, carceres.

32. Ad defenſoria ſpectant arces, caſtella, turres, catarhactæ, propugnacula omnis generis. Item mœnia, foſſæ ac munimenta portarum.

33. An a. ijs urbes muniendæ? diſceptari in utramq; partem à politicis ſolet. Nos affirmativæ inſiſtimus. Non ſolum n. decus ac ornamentum ijs conciliant, ſed & civium ſalutem & libertatem tuentur adverſus belluarum immanitatem, ipſasq; hoſtium incurſiones, direptiones & alias injurias *Ariſt. 7. pol. 21.* Huc quoq; multum facit, quod ſacroſanctæ leges civiles tam ſanctos & inviolabiles muros eſſe voluerint *l. 8. §. fin. de R. D.* ut hoſtili animo tranſcendentibus capitis pœnam impoſuerint. *l. fin. d. t.*

34. Philacteria dicimus, in quibus aliquid adſervatur, ut archivum, ærarium, bibliotheca, armamentaria, granaria & promptuaria omnis generis.

35. Eodem referimus Exoticomathium, id eſt ædificium in quo adſervantur res antiquæ & peregrino ex orbe advectæ. Utilitatem ejus multis commendant politici, quamvis non multis in locis reperiatur. Apud magnum ducem Florentiæ, Mauritium Haſſiæ Landgravium illuſtriſſimum, Felicem Platerum medicum Baſilienſem, & Bartholomæum Schachmannum Conſulem Dantiſcanum reperiri tantum tale Tauthomatotamium ſcribit *Keck. in ſyſt. pol. lib. 6. c. 20. in fin.* Quibus nos addimus illuſtriſs: ac celſiſſimum ducem Pomeraniæ Philippum, qui tam rerum in natura mirabilium ſtudioſus, ut nullis in ijs acquirendis & comparandis parcat ſumptibus, illasq; ex Indijs alijsq; locis remotiſſimis non ſine digna Principe laude advehi curet.

36. Secundaria ædificia ſunt, quæ ſunt conſtructa ad exercitia, & amænitatem, ut pergula, theatra, balnea, nymphéa, domus conviviorum: item ſtructuræ illæ quæ arti pugnatoriæ, luſui pilarum & alijs corporis exercitijs deſtinata quibuſdam in locis habentur.

37. Tantum de ædificijs publicis breviter, ſpatia publica ad uſus publicos ædificijs vacua relicta; ſunt plerunq; forum, portus, fontes, pomærium, cæmiterium. De hoc paucis. Cæmi-

38. Cæmiterium eſt locus ſepulturæ civium: cujus ſepulturæ an ratio ſit habenda, licet non deſint; qui dubitent, nos tamen, quo ſeceſſum ab ijs faciamus, præter ſacræ ſcripturæ autoritatem *Gen. 25. 2. Reg. 21. 3. Reg. 2. 11. & 14. & paſſim*, hortatur ipſe fætor & horror ex inſepultis cadaveribus vivis qui injicitur, & lenimentum luctui agnatorum quod præbetur, ut & optima occaſio, piè de mortalitate humana & mortuorum reſurrectione cogitandi, concomitantibus quæ datur. Quibus inſuper accedit, quod pœnæ loco quidam inſepulti & abjecti leguntur, *1. Reg. 17. 4. Reg. 9. & 24.*

39. Locum a. ſepulturæ ſeu religioſum de jure civili quilibet ex ſuo fundo proprio pro lubitu ſuo facere potuit *§. religioſum Inſt. de R. D.* Quod poſtea jure Can. immutatum conſtitutumq; ut ſine ſacerdotali benedictione & ſolenni conſecratione fieri nequeat *c. adhac X. de relig. dom. c. 1. X. de ſepult.* Quare tandem communis pro omnibus civibus locus conſecrari ſolitus eſt: unde & cæmiterium dicitur.

40. An a. locus iſte extra urbem an in urbe & quidem in templo aut non procul à templo, conſtitui debeat? dubio non caret; cum propter rationes, quas pro ſepultura in templo & ſic conſequenter pro ſuo marſupio, varias excogitarunt avari monachi & ſacrificuli, tum propter conſvetudinem varijs in locis Germariæ, maximè a. in hiſce Anſaticis civitatibus receptam. Nos rem in ipſa veritate perpendentes planè non in urbe concedendas ſepulturas, & conſvetudinem pravam & irrationabilem abrogandam concludimus firmiter, ſubnixi autoritate juris divini *Gen. 25. Luc. 1.* & humani, quod pœnam 40. aureorum ſtatuit in eos qui in civitate ſepulchrum faciunt, locumq; publicari & corpus inde efferri juſſit *l. 3. §. Divus Hadrianus ff. de ſepulc. viol.* Addimus inſuper rationem naturalem, quæ etiam, quia vivorum cauſa ſepultura inventa, flagitat, ut corpora & viſu & odore fæda amoveantur, ne halitibus cadaverum evaporantibus venenatis & contagioſis locus inficiatur: Et deniq; laudatum florentiſſimarum Rerump. Norinbergenſis, Argentinenſis & Lipſenſis conſvetudinem, quæ idem obſervat. *Kech Syſtem. pol. l. 1. c. 13.*

41. Ad privatas urbis partes referuntur ædes privatæ, & ſimiles poſſeſſiones. Rejicimus n. hic Ficini diſputationem Remp: Platonis defendentis, & omnem proprietatem rerum, uxorum, liberorum &c. diſtinctionem ac dominium tollentis Nam communio illa Platonica omni juri contraria; uno ictu omnes virtutes expellit, liberalitatem & beneficentiam tollit, homines ſegnes & ad laborandum ignavos facit, ſtorgas, quas omnium, non tantum hominum, ſed & brutorum animalium animis. inſculpſit natura, eradit, &, quod dictu nefas, incæſtum introducit, & commixtionem carnalem inter aſcendentes & deſcendentes & proximos collaterales permittit, quam tamen omnes gentes naturaliter averſantur: vah, quid dico gentes, cum etiam animalia bruta abhorrere ab ea tradat *Iuſtin. noſter Nov. 12. vide latè de quæſt. hac Arniſ.* 1. *pol. c. 2.*

42. Urbs eſt vel metropolis, vel urbs communiter ſic dicta.

43. Metropolis eſt civitas primaria, quam reliquæ omnes reſpiciunt; unde & juxta vocis Etymon dicitur quaſi mater inter reliquas urbes. *l.* 1. C. *de metrop.* & quidem olim ideo, quia ex ea coloniæ ducebantur, & reliquæ urbes conſtituebantur, hodiè à. quia dignitate. amplitudine, omni commoditatum ac virtutum genere, modo gubernandi & adminiſtrãdi, robore, propugnaculis, foſſis, reliquisq; munimentis reliquas inferiores ſuperet, ijsq; tempore belli ſuppetias & auxilia ferat, perfugium præſtet, atq; adeo toti diſtrictui gloriæ ſit ac honori. *Toloſ. de Rep. lib.* 2. *c.*1. *Dan.* 4. *pol.* 2.

44. Urbs communiter dicta, eſt quævis alia, quæ à metropoli pendet eamq; reſpicit, ſive ſit major ſive minor. Et ejus antea principaliores partes continentes recenſuimus.

45. Eleganter hoc loco quæritur, an extraneis novas ſedes eligentibus permittendum ut novas urbes extruant? Affirmamus moti non ſolum exemplis antiquis, quorum duo ad deciſionem quæſtionis adfert *Toloſ.* 2. *de Repub.* 1. ſed & hiſce annis quæ contigerunt, ex quibus vel unam illam, Hanoviam novam, novem fortè ab hinc annis, ex permiſſu Laudatiſſimæ memoriæ comitis Hanovici Philippi Ludovici, qui ante biennium piè obiens, ob inſignia eruditionis, omniumq; heroicarum virtutum dona, ut omnibus ſuis.

Digitized by Google

ſuis ſubditis, ita & mihi deſideratiſſimus ſemper fuit, à Gallis & Belgis tam ſplendidè extructa, ut facile cum omnibus Europæ civitatibus artificioſæ ſtructuræ elegantiâ contendere poſſit.

46. Sequitur contentum urbis quod uno nomine dicitur civitas: urbis n. termini muri ſunt, iidemq; ipſa finitur *l. 2. l. 173. §. 1. de V. S.* Civitas a. non in parietibus aut muris, ſed ipſa hominum multitudine poſita eſt. *Schonb. 1. pol. 13.* Non rarò tamen utriusq; appellatio confundi ſolet: Idq; juris interpp familiare eſſe probat *Bod. 1. c. 6.*

45. Eſt vero civitas hominum ſecundum eaſdem leges viventium certâ ratione (ad excludendos pyratas, latrones, deportatos aliasq; civitatum peſtes & chatarmata) moderatus cætus. Unde civis eſt, qui in cætu illo bene vivere intendit *Ariſt. 3. pol. 2.*

48. Ex his dfferentia civitatis & Reip: cuivis obvia eſt: Illa n. eſt quaſi materia, in quam Reſp. tanquam forma introducitur. unde & *Ariſt. 3. pol. 3.* Remp. choris & harmonijs, civitatem perſonis & numeris comparat.

49. Civis porro eſt vel verus ſeu propriè dictus, vel analogicus.

50. Verus iterum eſt vel plenus plenus vel ex parte.

51. Plenus eſt, qui habet plenum ac totum jus civitatis, hoc eſt poteſtatem utendi fruendi omnibus commodis ac privilegijs ac libertatibus civitatis. Quæ omnia ex ſtatus natura æſtimanda. *Keck. in Syſt. l. 1. c. 15.*

52. Plenus civis quis fit juxta *Ulp. in l. 1. ff. ad munic.* tribus modis, qui etiam attinguntur *l. 7. C. de incol.* nempe nativitate, manumiſſione & cooptatione.

53. Nativitate, quia liberorum conditio rectiſſimè æſtimatur ex conditione parentum à quibus vitam traxerunt. unde & talis civis dicitur originarius, ut & naturalis, ſive ex utroq; parente, ſive patre ſaltem cive genitus *l. 1. §. 2. ff. ad munic.* quod tamen olim apud Athenienſes ſecus fuit. *Plut. in Themis.* Et quidem tantum eſt originariæ civitatis jus ut nemo ei renunciare poſſit de jure civili, quocunq; n. ſe transfert civis originarius, nihilominus jus originis retinet *l. 4. C. de munic.* nempe quoad munera & honores, ſecus quoad jurisdictionem. forum n. originis amittitur relicto originis domicilio & alibi novo conſtituto. Secus tamen eſt de conſvetudine generali, eâ n. domicilium alio transferens deſinit eſſe

 civis

Digitized by Google

civis tam quoad munera,quã juriſdictionem. *Geil.2.obſ.36.n.7.&ſeqq.*

54. Manumiſſione: Libertos n. apud Romanos in civium cenſu fuiſſe habitos, dicit Imp. *Gord. l. 2. C. de munic.* Sed hic modus cum ſervitute antiqua ab uſu receſſit.

55. Cooptatione ſeu allectione, *ut ait l. 7. C. de incol.* quando ſc. peregrini conſenſu & ſuffragio magiſtratus in communionem & jus civitatis recipiuntur: unde & cives aſſumpti,voluntarij,adſcripti, adoptati vel allecti dici poſſunt *vide Goth. ad l.1.ff. ad mun. lit.b.*

56. An conducat peregrinos in civitatem recipi? controverſia eſt illuſtris, nec deſunt in utramq; partem argumenta: ex quibus tamen probabiliora putamus ea,quæ peregrinis jus civitatis,ſi manifeſta Reip. utilitas,amplificatio,cultura & exornatio admittat & requirat,dandum eſſe ſvadent: Nam quæ quæſo civitas eſt,quæ ex uno hominum genere; aut homogenea ſocietate coaluit? qui indigenæ ſoli ac ſolitarij absq; peregrinorum commercio vivere poſſunt? Quin & ipſa Dei vox & mandatum, advenam apud nos eſſe debere, quaſi indigenam, & à nobis diligi ut noſmet ipſos? *Exod.23.Lev.19. Deut.10.* bonæ nationis homines præter meritum ſuũ miſeros aut religionis cauſa exules, hoſpitio excipere poſtulat, & vel inprimis ſi magna civium penuria. *Keck.1.pol.24.Bod.l.4.c.4.*

57. Nec minor eſt conflictus: an ſpurij inciviũ cocietatem recipiendi? Et eos non ſolum recipi, ſed & ſi paternis vitijs abolitis amæniſſimam virtutum ſegetem oſtendant & omnem ſuſpicionis anſam præcidant cum Jephtah *jud.* 11.Themiſtocle *Plut.in Themiſt.*ad aliquem locum & dignitatem admitti debere,naturalis & divina ratio,quod liberi non debeant præſtare parentum culpam, ſvadet: *Ezech.18.* canones jubent *c.undequaq. d.56.* exempla hiſtorica urgent, quæ paſſim obvia demonſtrant,ſpurios ſæpè virtute ſuperaſſe legitimè natos, & maximos heroës terram illam obſcurorum incunabulorum & nativitatis macalam virtutum ſplendore obliteraſſe, & ob varia in Remp: merita pro ſemideis habitos fuiſſe. *Tiraq. in tr.de nob.c.15.Palæottus de ſpurijs c ult.*

58. Ex parte civis eſt vel incola vel confœderatus.

59. Incola eſt,qui domicilium quidem habet in civitate &uno partiali civitatis jure,non tamen omnibus uti poteſt. & talis incola obligatur, ad obſervantiam conſvetudinis ejus loci, in quo habitat *l. incola 29.ff. ad munic. Lun.ubi pet.tut.*

60. In-

60. Inducitur domicilium non nuda conteſtatione *l.20.ff.ad munic.* nec ſolâ emptione domus *l.17. §.13. d.t.* ſed re & facto *d.l.20. adde l.27. eod* id eſt ipſa habitatione concurrente cum animi conteſtatione, ſeu quando quis ita larem rerumq; ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, ut ex eo loco rurſus deceſſurus non ſit, ſi nihil avocet. *ll. cives C.de incol lib.10.* Et amittitur quando quis ſe ſuaq; bona in alium locum transfert *l. 31.& 34.ff.d.ſæpè t.*quæ tamen translatio hodiè ſecundum cujusq; loci conſvetudinem cum onere plerunq; fit, ut nempe pro bonis penſitatio Nachſtewr detur *Geil. 2. obſerv. 36. num. 9.*

61. Quanto tempore domicilium contrahatur? à JCtis quæſitum ſæpe fuit: *Et ſoar. in com.opin.lit.D.n.115.decennij habitatione per l.2.C. de incol.l 10.* Men. *de arb.jud.quæſt. cent.1.c.86.n.16.* judicis arbitrio relinquit. Hodiè planè nihil utilitatis habere cenſetur, quia teſte *Geil.* paſſim in civitatibus Germaniæ incolatus poſt annum adquiritur, neq; permittit magiſtratus propter communia civium onera, advenam diutius ibi commorari, ſi lapſo anno jura civium redimere nolit *2. obſerv. 35.n.8.*

62. Confœderatus dicitur qui jure fœderis & pacti inter unam ac aliam civitatem mutuò initi civitatis jus habet: quale pactum inter Bernates & Genuenſes eſſe refert. *Bodin. l 1.c.6.*

64. Honorarius eſt cui jus civitatis honoris cauſa oblatum eſt: quales hodie multi ſunt honorarij cives Romani, Auguſtani &c. Hoc jus honorarium civem imperio aut neceſſario munere aut onere ſtringere non videtur. *vide Bodin.d.l.*

65. Inquilinus eſt qui in civitate habitat animi vel negotiorũ cauſa qualiacunq; etiam ſint, ſive liberalia, ſive illiberalia, ſive militaria, ſive civilia quævis: ut nobilis, ſtudioſus, miles, mercator, opifex &c. hi n. omnes prædicto modo in civitate viventes præter jus habitandi & commorandi nihil obtinent. *Keck. lib.1. Syſt.c.15.*

66. Et hucusq; de ſocietate minori orta, ſequitur major, quæ plures pagos, oppida & civitates in ſe complectitur. Eamq; in latam, latiorem & latiſſimam diſpeſcimus.

67. Lata eſt quæ paucos pagos & urbes comprehendit, juriſdictioneq; armata eſt & dicitur diſtrictus, diœceſis, & territorium: *quo referimus Germaniæ Dynaſtias, Baronatus, comitatus, Abbatias inferiores,*

68. La-

68. Latior eſt ſub qua plures pagi, urbes, & ſæpè aliquot diœceſes: Et dicitur provincia: *quo recenſemus, principatus, ducatus, Electoratus item ſuperiores Abbatias, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & ſi quibus aliis nominibus dominia diſtinguuntur.*

69. Latiſſimam dicimus imperium, quale noſtrum eſt Romano Germanicum omnes præcedentes diſtrictus & provincias in ſe continens.

70. Hactenus de objecto, ſatis fusè dicta ſufficiant: ſupereſt ut de fine politices concluſivè tribus verbis dicamus: Eum a. ſtatuimus cum *Keck. in præcog p.23.* honeſtatem publicam, hoc eſt, virtutū publicam actionem & exercitium, unde pax interna, honor & glo- publica, ut & opes, potentia & abundantia neceſſario promanant.

ΠΑΡΕΡΓΑ ex 8. prioribus lib. 1. Inſtit. tit.

1. *Jus noſtrum non in opinione ſed ipſa rei veritate conſiſtere non ambigimus.*

2. *Juſtitiæ definitionem non ad divinam ſed humanam referimus.*

3. *Eam virtutem πρὸς ἕτερον eſſe, non tamen ita, ut contra ſeipſum quis injuſtus eſſe & violentas manus inferre poſſit, certò dicimus.*

4. *Alterum decipere ac circumvenire quandoq; licere cum Ulp. ſtatuimus.*

5. *Scripturam legis adjunctum neceſſarium eſſe concedimus, ſubſtantiale autem requiſitum pernegamus.*

6. *Pœna l. novæ gravior ad commiſſa prius delicta nondum punita, non porrigenda.*

7. *Ut nec interlocutio Principis vim legis habet, ſic nec ſententia Cameræ Imper. jus generale conſtituunt.*

8. *Opiniones DD. communes, tantum probabiles, & legibus non conſonas aut uſu receptas judicantem non obligare adſeveramus.*

9. *Conſvetudo licet memoriæ & probationis cauſa in ſcripturam redacta ſit, jus tamen non ſcriptum permanet.*

10. *Requiritur in conſvetudine actuum frequentia & tempus decennio majus: quod utrumq; judicis arbitrio relinquimus definiendum.*

11. *Conſvetudo & vincit leges & vincitur.*

12. *Statuliberos ſervos eſſe putamus.*

13. *Adſcriptitios quoq; Exercitij cauſa ſervos contra communem dicemus.*

14. *Ex duobus libertinis an ingenuus naſci poſſit, cur quidam contra expreſſum textum dubitent, non videmus.*

15. *Ex matrimonio cum meretrice contracto natos legitimos dicimus.*

16. *Majorem 17. annis ad litem procuratorē de jure civ. conſtitui poſſe arbitramur.*

17. *Intolerabilem dominorum in ſervos poteſtatem ex D. Hy conſtitutione rectè coarctatam vix dubium eſt.*

18. *Quoddam jus patriæ poteſtatis civium Romanorum proprium tantum eſſe non abſurdum eſt.*

Digitized by Google

Collegij Politico Juridici
DISPUTATIO SECUNDA
DE
MEDIIS PER QUÆ FINIS IN OBJECTUM INTRODUCITUR:
UBI DE SUBDITIS IN GENERE.
ET
PRINCIPALIORIBUS QUÆSTIONIBUS,
ex lib. 1. Inſt. Imp. tit. 9. 10. 11. 12.

Quam
DIVINO ASPIRANTE NUMINE
IN ILLUSTRI ROSARUM ACADEMIA
PRÆSIDE
JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,
DEFENDET
CHRISTOPHORUS Zaſtrow
Nobilis Pomer.

Ad diem 18. Juny.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedanī, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Magnificis, Rev. Nobiliſſimisq; Viris,

D^N. JOACHIMO
D^N. JOHANNI HENRICO } Flemingen/
Cathedræ Caminenſis Decano
ſpectabili,

Fratribus Germanis, hæreditarijs in Martentin/ Bentz & Schwiſſen/ Marſchallis Pomeraniæ &c.

D^N. RICHARDO Putkamern/
Hæreditario in Mortzow/ Epiſcopatus Caminenſis adminiſtratori dignisſimo:

Summis Muſarum fautoribus, cognatis, & reſpectivè tutori, patronis & promotoribus ſuis ſummâ obſervantiâ colendiſſimis,

Diſputationem hanc in gratitudinis, ſubmisſionis & obſervantiæ ſignum

O. D. D.

CHRISTOPHORUS Zaſtrow/
Nob. Pom.

DISPUTATIO II.

DE MEDIIS, PER QUÆ FINIS IN OBJECTUM INTRODUCITUR: ubi de ſubditis in genere.

THESIS I.

DE objecto & fine politici ſtatus poſtquam priori diſputatione; pro inſtituti noſtri modulo; ſatis egimus: De medijs in ſeqq. agendum.

2. Ea autem generaliter ſpectata ſunt duo: parêre & regere: unde & partes Reip. *Alth.* & *alij politici* duo faciunt: ſubditos & magiſtratus.

3. Subditi an magiſtratibus priores, non levis politicorum eſt contentio: *Keck. lib. 1. c. 1.* diſtinguendo reconciliat, quod nempe ſint priores tempore, non tamen naturâ, quia dignius regere quam regi, præſtantior actio quam paſsio. Quæ quidem reconciliatio defendi poteſt, ſi magiſtratum & ſubditos, ut jam conſtitutos, & ſibi invicem obligatos, ac officio mutuo obſtrictos conſideramus. Secus ſi magiſtratum ut conſtituendum accipimus. Tum enim quin ſubditi, Impp. Principes, Reges, &c. conſtituentes, uti abundè ex ſacris *1. Sam. 9. 16. 10. 17. 2. Sam. 7. 13. 1. Reg. 2. & paſſim,* ac profanis hiſtorijs, *Steph. Iun. Br. in vindic. contr. Tyr. q. 3.* conſtat, ijsdem etiam naturâ ſint priores, vix eſt quod quis negare poſsit, niſi conſtituentem conſtituto poſteriorem, non tamen ſine magna abſurditate, ſtatuat. *Dan. 1. Pol. 4.*

4. De ſubditorum igitur diſtinctione (eorum virtutes & officia in alium reſervantes locum) in præſentia agemus.

5. Sunt autem ſubditi primò conditionis vel eminentioris vel inferioris.

6. Ad eminentiores referuntur, nobiles, literati, milites.

7. Nobilis vocem latiſsimè hic ſumimus cum Innoc. III. *c. conſtitutus de teſt. & atteſt.* & Innoc. IV. *c. grandi in pr. de ſuppl. negl. prel. in 6.*

in 6. ita ut complectatur omnes dignitarios, genere & proſapia reliquos antecellentes, beneficiarios ſeu phaſallos & officiarios: ſeu omnes gradus & ordines infra majeſtatem. *Tiraq. c. 2. de nobil.*

8. Nobilium gradus non eſt unus; ſed diſtincti inter eos ſunt ordines, & quidem pro diverſitate Rerump. diverſi. Nos de ijs qui in Imperio noſtro Romano-Germanico.

9. Primum locum obtinet glorioſiſsimum collegium ſeptemvirorum Imperij Principum Electorum (ab eligendo Cæſare dictorum) ob maximos tumultus & graviſsimas, circa Impp. electionem contentiones, & injurias (nam ſæpius plus valuit, potentia & autoritas, quam conſultationes & calculi ſuffragantium) vel conſilio Cæſarum, vel voluntate procerum conſtitutum. De tempore quo conſtitutum illud ſit, quantus opinionum ſit conflictus, *vide apud P. Heig. l. 1. q. 3. & alios.* De eorum poteſtate infra quædam adjiciemus ſuis locis.

10. In eo autem tres ſunt Antiſtites ſeu Archiepiſcopi, & quatuor Principes Germaniæ: fortè ideo, quia tum demum felix & ſacro ſanctum dici Imperium, & in portu conſiſtere creditur, ſi ex togata & armata militia Senatus conſtitutus bene conveniat. Unde & inter ipſos Principes Electores eſt unio & fraternitas quædam arctiſsimo mutuæ fidei vallo munita, alias omnes cæterorum Principum conſociationes longo intervallo ſuperans.

11. Inter Eccleſiaſticos primum locum tenet Moguntinus; Archicancellarius Germaniæ: ſecundum Colonienſis, Archicancellarius per Italiam vel trans Alpes. tertium Trevirenſis, Archicancellarius Galliæ & Regni Arelatenſis. Inter Principes politicos, primum; Comes Palatinus Rheni; Archidapifer. ſecundum Saxo; Archimarſchallus, tertium Brandenburgicus; Archicamerarius, quartum Rex Bohemiæ, Archipincerna; Sacri R. Imp. qui dicitur. Eccleſiaſtici ab Impp. *Nepotes* nominari ſolent: fortè ideo, ne illi ſecularibus ſuis coëlectoribus, qui cognationis neceſsitudine hactenus ferè Impp. devincti fuerunt, & hodiè ſint, ideoq; ſecundum officij commemorationem cognati compellari ſolent, inferiores exiſtimentur, quod de naturalis cognationis præro-

prærogativa gloriari non poſsint: quare civilis quaſi υἱοθεσίας & adoptionis beneficio tales redduntur. *Ioach. Clut. in Syllog. rer quot: th. 24.*

12. Cæterum anteq; iam reliquos nobiles adjiciamus, prætetire non poſſumus magnam veterum Impp. devotionem, quæ tanta fuit, ut ſine Sacerdotibus & Epiſcopis nihil magnum feliciter ſe abſolvere poſſe ſperarent, & ita demum rectè omnia proceſſura crederent, ſi religionis antiſtites ſuis conſilijs præſentes & tanquam directores haberent. Hinc magna claſsis Canonicorum etiamnum in Imperio noſtro conſpicitur: inter quos ſunt Archiepiſcopi 4. Epiſcopi 27. Abbates, Prælati, &c. *quos infra referemus.*

13. Hinc an inter Conſiliarios Sacerdotes haberi expediat? meritò quis hic dubitaret: *Ioach. Clut. ante d. th.* Principes noſtros locum inter Conſiliarios non dare ait, ex eo fortè, quod facile abutantur ſuâ autoritate, & cum plerique rerum politicarum imperiti ſint, primas tamen ſibi deberi partes, ſeq; maximè opportuna dixiſſe & conſuluiſſe exiſtiment: Nos quid ſtatuendum, inter diſputandum videbimus.

14. Poſt Electoresſunt reliqui Principes. Principis vox ſoli Imp. propriè tantum competit, & ſic ſumitur in ll. noſtris civilibus *l. Princeps ff. de ll. l. 1. ff. de conſtit. Princ. & ſimil. bus: adde c. 1. de Nat. Feud. c. 1. quis dic. Dux 2. F. 10.* poſtea omnes majorem regalem dignitatem habentes ſic nominati ſunt. *c. 1. in pr. de prohib. F. alien. per Fr. & paſsim in Aur. Bul. Car. IV.* Poſteriori modo ſumitur vox iterum vel generaliter pro omnibus, ſive titulum Electorum, ſive Ducum, ſive Marchionum, ſive Landgraviorum, ſive Burggraviorum, vel alterius ſpecialis dignitatis Regalis nomen habeant; vel ſpecialiter pro Principibus tantum ſine tali honoraria dignitate: ut ſunt hodiè Principes Anhaltini, die Fürſten von Anhalt. Radzivilij, Lithuani Principes, quos etiam in numerum Principum Rom. Imperij cooptatos tradit *Schonb. ſ. pol. c. 6.* omnis igitur Elector Dux, Marchio &c. Princeps eſt: ſed non contrà, *ut videre eſt, paſsim in receſſibus Imperij.*

 15. Inter

15. Inter Principes illos primas tenent Archiduces: quod nomen in Germania tantum uſurpatur, & ſolis Auſtriacis competit, quamvis multi alij quoq; (fruſtra tamen *Chaſſan. de glor. mund. p. 5. conſid. 44. verſ. audivi alios*) affectarint.

16. Poſt eos Duces ſunt: Ducis nomen à ducendo exercitu, ut & Germanicum, Hertzog q. Herr deß Zugs deſcendit. Duces olim dicebantur præfecti limitanei ab ipſis præfecturis, quæ Ducatus nuncupabantur, & ad tempus primitus concedebantur, poſtea Duces dicebantur, quibus Ducatus ab Impp. in feudum concedebatur *c. un. qui dic. Dux.* Eorum poteſtatem & dignitatem Caroli M. tempore tantam fuiſſe, ut propriè Duces dicerentur, quibus 12. Comites ſuberant, ſcribit *Hot. in Lex. Feud. verb. Duces;* inde tamen ſequens ætas & noſtrum inprimis tempus receſsit; ita ut Duci 12. Comites non neceſſario ſubſint, teſte experientia: Nec immerito, quia omnibus temporibus, nomina dignitatum Principibus arbitraria fuerunt: *arg. l. unic. C. de metrop. Beryt. P. Heig. p. 1. q. 2. n. 39.*

17. Duces *Schonb 5. pol. 38.* dividit in Duces Imperij, quales 4. eſſe dicit, Sveviæ, Brunſvicenſis, Lotharingiæ, & Bavariæ, & ſimpliciter Duces. Quæ diviſio ex quaternaria procerum diſtinctione, deſumpta, quamvis vetuſtatem quandam redoleat, vix tamen fundamentum habet: *Clud. d. Syll. tb. ult. lit. a.* Et inter Duces, quâ Duces & ſtatus Imperij ſunt, nulla eſt differentia ſed tantummodò ordo in ſeſsionibus *Vult. 1. F. 4. n. 14.*

18. Ducis Venetiorum dignitas, ut & Genuenſium, deprædicata ſatis apud omnes eſt; unde, an cum ante dictis comparandi? inveſtigare placet. Negativam defendemus, quia non habent dominium, ſed quandam tantum præeminentiam in conſilio à populo exquirendo: *Bald. in l. decernimus C. de ſ. Eccl.* nec ſunt reverâ Duces, ſed tantum capita in ejuſmodi politijs inter alios eminentia. *Vult. 1. Feud. 4. in fin.*

19. Poſt Duces ſunt Comites Palatini, nominati à Palatio, id eſt, ſede vel aula Imp. *l. ex aula C. de priv. eor. qui in ſac. pal. mil.* Nomen Palatinorum generale eſt, dictum ex eo quod in palatio Imperatorio militent, & ad aliquod Principis miniſterium procurationem

tionem ſibi commiſſam habeant: Privilegium eorum recenſetur *ante d. tit. de privil. eor. &c.* Sed hic Comites Palatinos Germaniæ intelligimus, qui ad Rhenum, & ad tantam eminentiam & dignitatem evecti ſunt, ut non ſolum Principes ſed & Electores ſint. *De quibus multa præclara conſignavit Marq. Freher. in orig. Palat.*

20. Poſt eos ſunt Marggravij dicti à Marcha, ſeu Germanica voce **Marck**/ quæ limites ſignificat, quaſi Comites limitanei, tanquam finibus Imperij Romani tuendis adverſos Barbaros, id eſt, hoſtes vel eos qui Imp. Rom. non parebant præfecti eſſent: dicuntur in ll. civilibus liminarchæ ſeu fines cuſtodientes *l. liminarchæ C. de ſerv. fug. l. non ideo C. de lib. cauſ.* Quamvis autem hodiè Marchiones noſtri limitum defenſores non ſint, nomen tamen ipſis ex conſvetudine adhuc integrum eſt. *Laz. de Rep. Rom. lib. 1. c. 2.*

21. Poſt Marchiones ſunt Landgravij ſeu Comites provinciales, quia totius alicujus provinciæ ſunt præfecti ſeu judices, illi & hi fuerunt olim ex Comitum genere, ſed his nunc ſuperiores. *P. Heig. p. 1. q. 2. n. 55. 56.*

22. Poſt hos collocant Burggravios ſeu arcis præſidijq; præfectos. *Vide Cujac. 1. F. 1.* quos judices eſſe in terris, quæ Impp. donatione Eccleſijs acceſſerant, vult *Peuc. Chron. lib. 5.*

23. Burggravios ſequuntur Comites, à comitando & ſequendo dicti: *l. item apud Labeonem 15. §. comitem 16. ff. de injur.* quia magiſtratus provinciales, tanquam negotiorum publicorum adjutores ſequebantur; velut legati. *l. SCto. ff. de offic. Præſ. l. adminiſtrantes §. 2. de excuſ. tut.* Alc. *lib. de ſing. certam. c. 21.* Comites ſic dictos putat, quod ex comitatu Cæſaris, ad regendam aliquam provinciam mitterentur. Succeſſu temporis factum eſt, ut Comitis nomen de omnibus negotio alicui præpoſitis uſurparetur; unde Comites ſacri conſiſtorij, ſacrarum largitionum, rerum privatarum &c. *vide in C. lib. 1.* Fuerunt & Comites judices ordinarij qui in pace & ocio jus reddebant: *c. un. §. ſi judex de pac. ten. c. un. ſi de inveſt. int. dom. & vaſ.* unde & vox **Grave** judicem notat, hinc & appel-

& appellationes iſtæ in S. R. Imp. receptæ Centgrave/ Gograve/ Holtzgrave/ Dinggrave/ Saltzgrave &c. *Vide Andr. Knich. de jur. territ. c. 4. n. 68.* Huc pertinent Freygraven/ id eſt, Prætores judiciorum occultorum VVeſtphalicorum: *Vide reformat. Frid. III. Francof. anno 1442. tit.* von heimlich Gericht.

24. Noſtris moribus Comites dicuntur, quibus dignitas comitatus codicillis Cæſareis vel uſu longævo adquiſita eſt: ſeu qui de comitatu ſunt inveſtiti: *tit. 1. Quis dic. Dux. Com. March. 2. F. 10.* Nec tamen ſunt unius ordinis: ſed *quidam* principali dignitate & gradu ſunt decorati Gefürſterte Graven/ tales ſunt, Habſpurgenſis, Tirolenſis, Hennebergenſis, Mompelgardicus, Arnbergenſis, Gortzenſis, Manſfeldenſis, &c. Hi principibus æquiparantur, & receſsibus imperij voce, Fürſtenmeſſige comprehenduntur: Reichs Abſcheid zu Speyr *de anno 1570. §.* auß beſondern anſehenlichen urſachen: Ernewerte Cammergerichts Ordnung *de anno 1548. & 1555. p. 2. t. 2. 3. 4. & alibi.* Vel etiam priori voce non expreſſa ſimplici Principis voce veniunt. *Quidam* vero ſunt Comites imperij, qui ab imperio cum Regalibus, & jurisdictione ſunt inveſtiti, vel uſu ac poſſeſsione legitimè quæſita ea habent. *De quibus vide A. Knich. de ſubl. jur. territ. c. 4. in pr.* *Quidam* ſunt quibus comitatus ab inferiore aliquo principe per ſubinfeudationem conferuntur. *Borcb. de F. c. 4. n. 34.* Qui tamen comitatus nihilominus ſunt regales dignitates: Etſi enim iſti comites non immediatè, tamen mediatè ab ipſo ſupremo principe feuda ſunt conſecuti: *Quidam* deniq; ſunt comites, qui non ſunt in matriculam relati & ſine integris regalibus inveſtiti: ſed alijs Principibus ſubſunt unde nec jura reliquorum comitum habent, quales in aliquibus partibus Germaniæ inveniuntur: Sub domo Auſtriaca Graven zu Hardeck/ ſub Electore Brand. Graven zu Hänſtein (vel Hohnſtein) Herrn zu Viraden: Sub Ducibus Pomeraniæ & Epiſcopo Caminenſi, Graven von Newgarten.

25. Comites excipiunt Barones (cujus vocis tot notationes hinc

hinc inde ab interpp. dantur, ut vix quæ ſequenda & quæ melior dici queat: *Vide Marin. Tract. de Feud. lib. 1. tit. de orig. Baron.*) qui hinc inde in receſsibus Imperij varijs nominibus appellantur: *aut* enim ſimpliciter Freyen/ *aut* ſemper Freyen/ *aut* Freyherrn/ *aut* Edle Herrn/ *aut* ſimpliciter Edle/ vel adjecta demonſtratione Der Edle/ *aut* etiam ſimpliciter Herrn. Quales (Herrn) etiam ſe ſcribunt, qui Dynaſtias cum Ducum, Principum & Comitum titulo conjunctas habent: quemadmodum celſiſsimi hi Duces Megapolitani, Herrn der Lande Roſtock und Stargardt ſalutantur.

26. Sunt autem Barones proceres proximo poſt Comites nobilitatis gradu ordinati: Earum *Ruland. de commiſſ. lib. 5. c. 4. n. 40.* tres recenſet differentias, quod quidam ſint ſemper liberi, quidam liberi Barones Freyherrn/ quidam tantum Barones Herrn: & adducit pro ſe antiquas imperij conſtitutiones aliquot: ſed reverâ inter Barones nullam eſſe differentiam, & quocunq; nomine appellentur, omnes dignitate & nobilitate pares eſſe, manifeſtum ſit ex generali multorũ comitiorum decretorũ ſubſcriptione von Graven und Herrn wegen. Cæterum tamen ratione juris Comitiorum diſtingui poſſunt in Barones ſimpliciter ſic dictos & Barones imperij, qui locum in Senatu imperij & ſententiæ dictionem habent. *Vide* Reichs Abſchreid zu Augſpurg *anno 1548. §.* wie wol auch.

27. Utrum autem Comites & Barones imperio immediatè ſubjecti, reverâ ſint æquiparandi, & Baronatus inter feuda Regalia nominandi, graviſsimè inter interpp. diſceptatur? *Matt. de Afflict. Duar. de Feud. Schurff. in conſilijs,* negant per multas rationes ex jure Feudali & Receſsibus petitas: *contra Mar. Freccia, Iul. Clar. Gail. Mynſing.* & alij affirmant. Nos hiſce opinionem & de jure veriorem, & in Germania receptam defendentibus nomina noſtra ſubjicimus, quia non minus Barones quam Comites ſunt ſtatus Imperij *Geil. 1. obſ. 2. n. 2.* illuſtresq; appellantur *Schrad. conſil. 13. n. 172. verſ. Tum quia Barones.* Quin & Comites ac Barones in matricula Imperij æquiparantur in privilegio & jure Auſtregarum:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

garum: *Ordin. cam. p. 2. t. 3. 4. 5.* Atq; in dignitate ac munere judicis ac præſidis Cameræ imperialis comparantur, *ordin. cam. part. 1. tit. 1. in pr. ubi hæc verba leguntur:* Das Keyſerliche Cammergericht/ ſol jederzeit mit einem redlichen verſtendigen Cammer-Richter/ der ein Fürſt/ Geiſtlich oder Weltlich/ oder auffs weinigſt ein Graff oder Freyherr ſey.

28. Hactenus de nobilibus generaliter ſic dictis; ſequuntur in ſpecie ſic ſumpti nobiles. De quibus *in ſeq. diſput.* ſingulariter agemus.

29. Porro ad eminentiores retulimus literatos: qui ſunt vel Theologi, hoc eſt verbi divini, ſacrorumq; myſteriorum periti. *De quibus Melch. Iun. p. 2. q. 61.* Vel JCti, ſeu legum humanarum antiſtites, qui dirimunt fata cauſarum ambigua, ſuæq; defenſionis viribus, in rebus ſæpè publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant. Vel Medici, qui ſalutaribus remedijs corpora humana morbis afflicta curant: *de quibus Eccleſiaſt. 38. in pr. Mel. Iun. d. l.* Vel Philoſophi ſeu artium liberalium inferiorum periti. *de quib. Mel. Iun. d. loc.*

30. Dignitatis locum quilibet ſecundum ordinem, quo jam enumerati ſunt, occupat: quamvis Medici nonnulli ſuæ diſciplinæ cultores JCtis præferendos, & olim putaverint, & etiamnum diſputent. Sed quam firmiter (ſcilicet) *vide apud Arniſ. in pol. c. 13. p. 309. Mel. Iun. d. loc.*

31. Cæterum ex literatis quidam inſigniuntur gradu aut Doctoratus vel Licentiæ, quando nempe ijs in facultate vel Theologica, vel Juridica, vel Medica, publicè docendi, reſpondendi, profitendi &c. ex Cæſariæ Majeſtatis autoritate fit poteſtas: aut Magiſterij, quo ſoli Philoſophi, qui egregium in Philoſophia profectum fecerunt, ornantur. *De quibus omnibus diſp. ſeq.*

32. Poſt literatos poſuimus milites, qui victum ſuum ex miniſterijs bellicis quærunt: *De quibus Mel. Iun. d. q. 61. & nos inf. ſuo loco.*

33. Hic ſaltem, an literatus militi præferendus? inquirere placet: Affirmamus: Illo enim omni tempore pacis & belli uti poſſu-

poſſumus; hunc propter bellum diligimus: Illius virtus ſuâ naturâ præſtantior, & excellentior, hujus propter certam circumſtantiam temporum & incidentem aliquam neceſsitatem, eligibilior. *Vide de hac quæſt. Lipſ. 4. pol. 2. in contrarium inclinantem.*

34. Tantum de eminentioris conditionis ſubditis: ſupereſt ut de inferioribus diſpiciamus. Quos juxta pleroſq; politicos in certos ordines diſtinguemus.

35. Primum locum & ordinem ipſi ſibi hodiè vindicant, ij qui reditibus ſuis annuis privatim vivunt: *de quibus Bod. lib. 3. de Rep. c. 8. & nos infrà, ubi otioſi occurrent.*

36. Ijs adjungimus mercatores, qui;modum adquirendi;mercaturam colunt: & duplicis ſunt generis: vel majores & honeſtiores, qui ſummariam, diffuſam & cum majoribus ſummis exercent mercaturam, quæ propriè negotiatio dicitur, & abſq; parvis menſuris ponderum & ulnarum fit. *Keck. l.1. c. 14.* Et tales poſſunt decurionatum & honores in ſua patria petere *l 12. ff. de decur.* Vel minores, quos ſordidos quidam vocant, qui minutiorem, & reſtrictam mercaturam exercent, & mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant menſuris, pondere vel ulnis. *Vide arg. pro & contra apud Mel.Iun.d.loc.* Ab utriſq; hiſce ſecernendi planè ſunt Dardanarij, qui emunt ut charius vendant: Nam prorſus non ferendi ſunt, ſed coercendi *l. Iul. de annona. vide l. 2. ejus tit.*

37. Secundum ordinem occupant artifices: quorum quanta ſit utilitas & neceſsitas, *vide apud Toloſ.4. de Rep.c.9. Alth. c.11. Mel.Iun.d.loc.* qui etiã diſtinguũtur in ſuperiores ſeu liberaliores & ſordidiores.

38. Ad liberaliores referuntur: 1. Typographi, quorum artificium haud dubium honeſtiſsimum, liberale, & divinitus ad inventum & revelatum vel per Johannem Fauſtium, vel Guttenbergerum, ad annum Chriſti 1440. Argentinæ, *Secundum A. Bucholz. in Chronol. ad. annum 1440.* vel Moguntij, *juxta alios: Vide Beuz. lib. 5. Chron. Func. in Chron. ad d. annum.* 2. Pharmacopæi qui præparant venduntq; medicamenta, alias pigmentarij dicti. *l. 3. §. 2. ff. ad l. Corn. de ficar.* 3. Chirurgi, quales ſimul olim erant Medici, *l. qua actione §. ult. l. idem juris ff. ad l. A quil.* hodie ſunt vulgo; Barbitonſores dicti. 4. Obſtetrices, qui & curam

gerunt mulierum ſignatarum, id eſt, prægnantium, & an prægnantes ſint, æſtimant: *de his vide l. 1. ff. de ventr. inſp. l. ult. C de leg. ubi eodem cum Medicis pretio habentur.* 5. Aurifabri. 6. Omnes qui circa ædificia ſunt occupati, ut architecti, ſtructores, pictores *de quibus l. Archiatros 1. C. de metat. & Epid. lib. 12. l. ult. C. de excuſ. artif.* Statuarij, Marmorarij, Sculptores ligni, Fuſores; velut Plumbarij, Tignarij qui ligna dolant *l. ferri 235. §. 1. de V. S.* Scandularij qui ædes ſcandulis tegunt: *Vide l. ult. ff. de jur. imm.* 7. Athletæ, qui corporis exercitationem membrorumq; agilitatem docent, & in magno apud veteres ſunt pretio habiti. *de ijs vide l. 4. de his qui not. infam. l. ſpem 5. C. quæ res pign. l. ſi duas 6. §. 13. de excuſ. tut.*

39. Ad inferiores referuntur qui vilioribus & craſsioribus artificijs ſeu opificijs ſunt dediti: & vel ad victum vel ad amictum vel ad omnis generis utenſilia comparanda ſunt occupati.

40. Qui procurando victu in Repub. occupati, ſunt Piſtores, Lanij: intellige autem de veris opificibus, Dulciarios enim libitinarios & id genus alios ſcitamentorum fabros ablegat *Arniſ. c. 13. p. 322.*

41. Ijsdem annumeramus coquos, venatores, piſcatores, tabernarios ſeu caupones, quorum officium eſt hoſpitia, diverſoria & tabernas præſertim pro peregrinis rectè & commodè inſtituere & inſtruere.

42. Qui amictui proſpiciunt ſunt, ſartores, plumarij, textores, pannifices, pelliones, ſutores, coriarij, alutarij &c.

43. Ad utenſilia & alia in Rep. neceſſaria comparanda pertinent fabri; quorum varia ſunt genera, arcularij &c.

44. In tertio ordine collocamus agricolas & paſtores, quorum vitæ genus & modum adquirendi, antiquitate, honeſtate, neceſsitate, utilitate, & ſimilibus præconijs alijs laudant politici ſcriptores. *Vide Arn. d. c. p. 314. Melch. Iun. p. 2. q. 61. pro & contra.*

45. Ad quintum ordinem referimus, qui ex eo vivunt quod alios vel vehant, ut ſunt aurigæ, nautæ, vel quid portent aut manibus laborent ut mercenarij bajuli & alij ejuſmodi operarij.

46. * In infimo ordine & viliſsima civium fece omnium conſenſu,

ſenſu, pantomimi, hiſtriones, ludiones, tibicines & alij collocantur. *Vide Arn.d. l. p. 324.* Ut & apparitores, lictores, carnifices, quorum miniſterium in Rep. maximè neceſſarium ad executionem ſententiæ in criminalibus latæ.

47. Hiſce quidam annumerant ſtelliones, ſortiarios, qui quæſtum ſortilegijs, Glückstopff/ Lotterey exercent. Sed nos hoſce planè non ferendos judicamus, quia univerſa ſortilegij natura eſt, ut alij per fraudem emungantur, ſimplices & ſtolidi ad nummorum perditionem alliciantur, ſicq; ſæpè pauperiores ad furta & alias malas artes alliciantur. *Vide Dan. in tract. de ſorte & ſortil.*

48. Similiter quoq; inter ſubditos non ferendos, ſed exterminādos & expellendos cenſemus Nubianos illos & Cygaros, qui in ſuperioris Germaniæ regionibus, ſæpius quam hiſce Borealibus conſpiciuntur, & neſcio qua parte Ægypti ſe ortos & quas ob cauſas patriâ ſuâ mutato ſorte inhabitantium numero per ſeptennium vagari cogi mentiuntur. Sentina namq; eſt hominum varijs ex nationibus collectorum, qui furtis, rapinis, mendicationibus vitam ſuam tolerant, varijs futurorum præſagijs alios homines ludunt, pecunijsq; emungunt, quem in finem, ut fucum & fraudem magis hominibus facere poſsint linguâ utuntur fictitiâ. Horum naturam eliganter depingentem, *vide Camer. in medit. Hiſtor. cent. 2. c. 75.* ubi allegat decretum Comitiorum imperialium de ijs tanquam hoſtibus imperij & proditoribus Turcarum non ferendis.

49. De Judæis quoq; ſimile qui ferant judicium non deſunt: nec mirum uſq; enim à deſtructione Hieroſolymæ gravis iſta à Theologis ſimul & politicis agitata fuit quæſtio, an Judæi inter ſubditos Chriſtianos ferendi? ita ut ponderoſa ab utraq; parte argumenta eſſe videantur. Nos nec facilè admittendos, multo minus ſtudio advocandos, nec ſi ſunt omnino exturbandos, ſed certis legibus, cum generalibus, tum ſpecialibus, conſtringendos arbitramur; moti, *cum* verbi divini veritate, quod converſionem eorum ante finem mundi certò prædicit: *Rom. 11. verſ. 25. 26. Hoſ. 3. verſ. 4. adde Pſalm. 59.* *tum* primitivæ Eccleſiæ, juris Canonici, Cæſarei & noviſsimarum Imperij Rom. ordinationum atq; receſ-

 ſuum

ſuum autoritate, quæ omnia Judæos, eorum collegia, ſynedria & ſynagogas prædicto modo tolerant atq; ſuſtinent: *vide t. t. C. de Iud. & Cæl. t. conſt. Pont. de jud. & Sar Receſ. Imperij Auguſtanorum Comitiorum anno 1530. 1538. 1553. Auguſt. de Civ. Dei lib. 4. tum deniq;* utilitate, quæ capi poteſt 1. ex meditatione exilij & diſperſionis diuturnæ, quæ vivum iræ divinæ ſpeculum & certitudinis promiſsionum divinarum indicina: 2. ex veritate & autoritate librorum V. T. authenticorum, quos paſsim ſecum circumferunt & legunt: *Auguſt. de Chriſt. Doctr.* Adde his omnibus ipſam humanitatis, φιλανθρωπίας & miſerandæ ſortis & conditionis Judæorum rationem. *vide Camer. in medit. cent. 1. c. 89. Keck. 1. polit. 24.*

50. Hactenus de prima ſubditorum diſtinctione ratione conditionis: quidam eos etiam diſtinguunt ratione obligationis, in liberiores & majori ſervituti adſtrictos. Etſi enim juxta Bodin. *1. de Rep. 5.* circa annum Chriſti 1200. ſervitus antiqua apud Romano-Germanos in uſu eſſe deſierit, attamen moderatam aliquam minusq; aſperam etiamnum in uſu eſſe, & non ſolum in hominibus proprijs, qui in Weſtphalia & alijs in locis habentur *Vult. in inſtit. de jure perſ. in fin.* Sed & in ruſticis conſpici tradit *Oldend. claſſ. 3. act. 9.* dum docet, quod quicquid ſancitum de ſervis, id ſi foro noſtro conveniat transferri ad ruſticos poſſe. Quod idem ſcribit *Huſan. in tract. de hom. propr.* & vel maximè ad ruſticos in hac Megapoli trahit, quibus nullam renunciationem culturæ permiſſam eſſe, neq; glebam cui adſcripti ſunt, (quæ vera natura fuit adſcriptitiorum antiquorum *l. Colonus nunquam C. de agric. & cenſ.*) unquam deſerere poſſe, niſi dominorum remiſsione teſtatur *c. 8. n. 7.* Quin & *num. 11.* dicit; ſine dominorum permiſsione Colonorum liberos, non poſſe conferre ſe ad civitatem, ut diſcant artes Machanicas opificiaq; manuaria, aut inſervire civibus nobilibusq; alienis, ſed repeti non minus quam ſervi fugitivi, *adde Geil. in tract. de arreſt. c. 8. n. 19.* in multis tamen provincijs ſecus eſt, liberumq; ruſticis etiam absq; manumiſsione ſeu dimiſsione dominorum emigrare & prædium mutare, relictis ſcil: in prædio tot equis, ovibus, vaccis, bobus, porcis, anſeribus, anatibus, columbisq;, nec non inſtrumentis ruſticis ad agricul-

agriculturam pertinentibus, quotquot acceperunt. Qua in re conſvetudo cujusq; loci conſulenda.

51. Diſtingui porrò ſubditi ſolent, in tribus, hoc eſt, collegia corpora & ſodalitates, Germanicè Zunfft. *Tholoſ. lib. 4. de Rep. c. 1. & ſeqq.*

52. Collegium à colligendo dictum eſt legitima trium (ad minimum *l. Nervatius de V. S.*) pluriumq; perſonarum ejuſdem conditionis & poteſtatis conſociatio. *l. 173. ff. de V. S.*

53. Conſociatio tamen iſta non qualibet ex cauſa *l. 1. l 3. ff. de colleg. & corp.* neq; privatorum voluntate *d. l. 3. §. 1. c. dilecta extr. de exceſſ. prælat.* Sed magiſtratus autoritate, ſcientia & confirmatione interveniente iniri poteſt, *d. l. 3. §. 1.*

54. Excipitur tamen in jure noſtro religio, cujus cauſa inconſulto magiſtratu coire prohibitum non eſt *l. 1. §. 1. ff. de coll.* quod, an hodie etiamnum vigorem ſuum obtineat? diſceptatur. *P. Frid. Mind. 1. de proceſ. 30. in fin. negat.* cui calculum noſtrum ſupponimus,& vel maximè ideo, ne Magiſtratus cui religionis cura incumbit,quamvis religionem,præter eam quæ publicè inducta eſt, clanculum introduci permittat, neq; ſeditionibus & turbis, quæ inde facilè naſci poſſunt anſam præbeat.

55. Semel autem initum atq; legitimè conſtitutum collegium firmum poſtea manet, neq; licet perſonæ mutentur (ſecus tamen ſi omnes extinctæ nullaq; remanſerit) mutatur *l. 7. §. 2. quod cujusq; univ.*

56. An autem collegium autoritate ſuperioris ob delictum deſtructum & everſum amittat ſua privilegia, etiam ſi poſtea reſtauretur? finaliter hic quærimus. Aff. *Gail. 2. obſ. 61. n. 4.* quia nullum amplius ejus ſubjectum cenſetur eſſe reliquum. *arg. l. 31. ff. quib. mod. uſuf. amit.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

Ex tit, 9. 10. 11. 12. lib. 1. Inſtit. Imp.

1. *Nuptiarum definitionem à Juſtin. traditam,licet à multis oppugnatam, defendimus.*

2. *Eas ſponſalia præcedere ſolent,quorum diſtinctionem canonum de præſenti & futuro rejicimus.*

3. Spon-

3. *Sponſalia cum corrupta per errorem contracta ſponſum per ſubſequens matrimonium conſummare nec divinum nec civile jus cogit: impiè tamen canoniſtæ.*

4. *Conſenſum contrahentium (qui ante omnia requiritur) ſine concubitu & deductione in domum mariti nuptias perficere credimus.*

5. *Parentum tamen conſenſum non excludimus, ſed de neceſſitate, (non honeſtate tantum) omni jure requiri indubitanter ſtatuimus.*

6. *Conſenſu non adhibito, filium ſi ignominioſam (non ſi honeſtam) duxerit filiamq́;, minorem tamen 25. annis, ſi ignominioſo nupſerit, exheredari poſſe exercitij cauſa defendemus.*

7. *Duorum fratrum vel ſororum, vel fratris & ſororis liberos de jure civili conjungi, non tamen etiam canonico & divino adſerimus.*

8. *Matrimonium ritè contractum, non niſi alterius conjugis morte, adulterio & malitioſa deſertione ſolvi tantum poſſe nulli dubitamus.*

9. *Non tamen in pontificium errorem, quoad menſam tantum & thorum diſſolvi, deſcendimus: ſed & innocenti (præcipuè & principaliter) & nocenti poteſtatem ad ſecunda vota tranſeundi conceſſam credimus.*

10. *Dotem, quæ plerumq́;, non tamen ſubſtantialiter nuptijs accedit, à marito ad inopiam vergente; conſtante matrimonio repeti poſſe arbitramur.*

11. *Pactis, ſtatutis & conſvetudine dotis, præſertim immobilis, retentionem marito concedi poſſe præſupponimus; dotemq́; ſic à ſponſæ patre intra annum & diem promiſſam, mortuâ intra id tempus uxore, à marito rectè peti & exigi concludimus.*

12. *Legitimationem per ſubſequens matrimonium quocumq́; tempore, etiam in mortis articulo fieri poſſe credimus.*

13. *Nepotem prædefuncto patre, per ſubſequens avi matrimonium legitimum effici ponimus.*

14. *Filium adoptatum in ſucceſſione feudali, in privilegijs & ſtatutis liberorum appellatione non contineri dicimus.*

15. *Pactum de unione prolium, ad ſimilitudinem adoptionis inventum juri conveniens eſſe adfirmamus.*

16. *Nec Doctoratum, nec monachiſmum, nec nuptias, nec militiam patriam poteſtatem deſtruere adſtruimus.*

17. *Hodie conſulari & epiſcopali dignitate liberos patria poteſtate liberari, beneficium tamen SCti Macedoniani retinere non ambigimus.*

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO TERTIA

DE

NOBILITATE
IN SPECIE

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,
ex tit. 13. & ſeqq. ad finem lib. 1. Inſtit. Imp.

Quam

DIVINO FAVENTE NUMINE
IN ILLUSTRI ROSARUM ACADEMIA
PRÆSIDE
JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,

PROPUGNANDAM SUSCIPIET
NICOLAUS BESELIN
Roſtochienſis.

Ad diem 22. Junij.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

VIRO SPECTABILI, GENERE ET ERUDITIONE PATRITIO,

DN. BALTHASARO BESELIN, CIVI ROSTOCH. PATRI SUO.

SÆpiſſimè mecum, Pater oculiſſime, mellitiſſime, cogitans, quodnam vitæ genus ſit, quo homo poſt Dei gloriam, ad quam vel potiſſimum creatus, ſaluti publicæ inprimis prodeſſe, eoq; nomen ſuum ab oblivionis injuria defendere poſſit, nullum aliud invenire potui, quam quod ad utrumq; illud pacis & bellorum tempus, quod principi gubernandum, Imp. Iuſtin. in proœm. Inſtit. docet, pertinet: in utroq; enim illo conjuncto universæ ſalutis publicæ ſumma conſiſtit: per utrumq; illud recte adminiſtratum, quicquid in universa hac mundi machina, abitur, conſervatur, defenditur, ordineq; decenti gubernatur & regitur. Ut autem illud tempus recte adminiſtretur duplices requiruntur milites, armati, qui gladijs, clypeis thoracibus utuntur, ac prælijs atq; vulneribus patriam & parentes ſalvant; ac togati, ut dicuntur, qui glorioſæ vocis munimine, ſuæq; defenſionis viribus confiſi, non minus atq; illi ſaluti publicæ provident, in rebus publicis atq; privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, laborantiumq; ſpem, vitam, & poſteros defendunt. Cæterum inter utramq; militiam examen atq; electionem dum inſtituo Muſarum imprimis caſtra arrident, quare ijs me totum devotum cupio, ſacramentoq;, tutius inter ll. quam arma vivere exiſtimans, obſtringo; atq; in teſſeram, præſentem hanc diſputationem, utriusq; militiæ commodum & fructum, NOBILITATEM tractantem, tibi Pater exoptatiſſime inſcribere volui, ſciens; quanta, & quam maxima tua in me, plus quam paterna ſint officia à primo vitæ meæ die, honeſtè pieq; educando & ad ſtudia, mea ſumptus neceſſarios adminiſtrando ad hanc usq; horam exhibita. Eam igitur, ut ſtudiorum meorum primitias, voluntatis ad ea continuanda, & laborum certò certiùs impendendorum ſigillum, & filialis meæ obſervantiæ & amoris τεκμήριον benigne ſuſcipe, & inpoſterum diutius ſtudia mea fove, donec tandem meliora & gratiora offerre poſſim. Deus T. O. M. quam diutiſſime te mihi & universæ noſtræ familiæ ſalvum atq; incolumen tueatur, Dabam in Muſæo noſtro.

)

DISPUTATIO III.

DE NOBILITATE IN SPECIE.

THESIS I.

NObilitatis vox, quam latiſsimam habeat ſignificationem *præced. diſp. theſi 7.* innuimus, Nobiliumq; gradus Imperij noſtri *in ſeqq. ad theſ. uſq. 28.* ἁπλῶς recenſendo abſolvimus: ſupereſt ut in præſentia de nobilitate in ſpecie aliquid videamus.

2. Definimus autem eam; excellentiam beneficio Principis ac legis vel conſvetudinis in aliquem, ob virtutes Reip: & vitæ communi ſalutares & commodas collatam, qua plebejorum numero quis eximitur, & alia privilegia multa conſequitur. *De quib. prolixè Andr. Tiraq. in tract. de Nobilit.*

3. Nobilitandi conſvetudinem, hodiè quæ in uſu eſt, nuper tantum cæpiſſe quidam exiſtimant. Quos tamen refutat, & Zenonis Imp. tempore ante 1000. annos in uſu fuiſſe docet. *Conrad. Lag. in meth. jur. civ. part. 2. rubr. de privat. dign. & util. perſ. per l. quoties §. viros C. ubi Senat. vel clariſſ.* ubi Imp. expreſsè mentionem facit nobilitatis, quæ ſine adminiſtratione per Codicillos honorarios collata quibusdam fuit. Unde ſatis liquet, eodem modo & olim ab Impp. ordini nobilium adſcriptos eſſe plebejos, ut nunc privilegijs Cæſarum iſtius ordinis dignitate ornantur.

4. Concedi autem illud beneficium à nemine poteſt, niſi à ſummo Principe, qui jura Majeſtatis habet, aliorumq; juſsis nullatenus tenetur. Quod adeò verum, ut qui de hoc diſputet, an dignus ſit quem princeps elegit, committat crimen ſacrilegij *l. diſputare C. de crim. ſacril.* Archiduces tamen Auſtriæ inter alia ſpecialia privilegia ſibi conceſſa *quæ apud Sebaſt. Munſter. in Coſmogr.*

 lib. 3.

lib. 3. c. 399. extant. hoc habent, quod non ſolum nobiles, ſed & Barones ac Comites creare, ijsq; inſignia dare poſsint. *Rutg. Ruland. de commiſſ. c. 3. n. 23.*

5. Longiſsimè ergo à vero abſunt, jurisgent. inventum Nobilitatem, eſſe qui ſcriptitant,cum tamen civilibus conſtituatur modis, uti latè deducit & probat. *Conr. Lag. d. loc. & Pruckm. §. ſoluta poteſtas c. 4. effect. 4. unde & Bart. circa l. 1. C. de dign. lib. 12. dicit eam eſſe dativam non nativam.*

6. Lege tamen & conſvetudine concedi quoq; in definitione paulò antè conceſsimus, ob mores nonnullorum locorum: ut olim Romanorum, ubi nobiles dicebantur, quorum Majores Curules magiſtratus, ut ſunt conſulatus, cenſura, prætura, ædilitas,geſſerant: Quæſtura enim, Tribunatus, alijq; inferiores honores nobilitatē non tribuebant. *Hippol.à collib.in diſp.de nobil. theor.9.*

7. Cæterum fundamentum, in quo vera nobilitas conſiſtit, & præcipua cauſa quà adquiritur, ſola eſt atq; unica virtus, *l. providendum 7. C. de ſtat. & imag. c. nos qui extr. de præbend.* quare *Hippol. d. loc. theor. 11. 12.* excludit eos, à veris nobilibus, qui ob flagitium, aut ſolam Principis gratiam, aut præſcriptionem, titulo ornantur: quia ut ait, nobilitas non opinione nititur, ſed naturâ, neq; facilius Princeps ſolo beneficio ex ignobili nobilem facere poteſt, quam ex ſtulto ſapientem.

8. Nec tamen quævis virtus ſufficit, ſed debet eſſe excellens, illuſtrior & Reip. & vitæ communi vel politicæ utilis, qualis eſt fortitudo & ſcientia. Niſi enim inquit *Sim.Simonius tract. de nobil. c. 2.* virtuoſi virtutem ad Remp. tempore pacis & belli promovendam referant, nobilitatem politicam virtute non merentur. Ratio eſt, quia noſtri cauſa nati non ſumus, alioquin ſatis eſſet ad ſummam dignitatem noſtros animos rectè componere. Speculativi itaq; cætus hominum relinquentes, & in otio viventes inter viros nobiles numerari non poſſunt.

9. Ob divitias nobilitatus; an verus ſit nobilis, dubio prorſus non caret: *Bald. in c. ſuper eo in fin. de teſtib.* affirmat. cui concinit *Horat. lib. 1. Epiſtol.* Et genus & formam regina pecunia donat: Pleriq; vero negant: & rectè,etſi enim ſequela & maximum orna-

ornamentum nobilitatis ſint divitiæ, ad nobilitatem tamen conſtituendam ſine virtute nihil valent, nec quicquam abſurdius aut pernicioſius, quam dignitatem quæſtu, ordinem pecunijs, nobilitatem opibus metiri. *Hip. d. l. theor. 12.*

10. De feudalibus bonis major eſt diſceptatio, an ea per ſe adquirentem nobilitent? Nos planè negamus, quia nobilitas non à rebus ſed à concedentis arbitrio dependet, ac non rebus ſed perſonis dignitatem eam cohærere tralatitium eſt. *And. Knich. de jur. territ. c. 1. n. 21.* Et quæſo quid abſurdius, quam Janum genere & ingenio ruſticum, mercaturâ per fas & nefas opes aliquas corradentem, & nobile feudum adquirentem inter nobiles recenſere? perinde profectò eſt, ac ſi ementem domum conſulis, conſulem fieri dicerem: Provincia ex hominis dignitate, non homo ex dignitate provinciæ nomen mutuatur. *Knich. d. loc. vide Vult. 1. F. 8. n. 9. Duar. de Feud. c. 4. n. 8.*

11. Nobilitatem porro dividimus in nobilitatem generis ſeu gentis & ſanguinis, ac perſonæ ſeu ſcientiæ.

12. Illa eſt nobilitas à majoribus; virtute rebusq; præclarè geſtis; adquiſita, & in ſuos deſcendentes legitimos translata. Ejus enim tanta vis eſt, ut quamvis illius ſit propria à quo manat, egreſſa tamen mortalitatis fines, non cum homine intereat ſed ad poſteros tranſmittatur, fortè ideo, quia magna ſpes, fore ut liberi, quemadmodum oris lineamenta referunt, parentis etiam virtutem, ejus incenſi amore, acceptent: quamvis, quod deplorandum, rarò hodiè ortus ſui fidem faciant. *Hip. à Coll. d. loc. theor. 31.*

13. Et tranſmiſsionem hanc adeohodiè urgent, ut vel eum qui ob egregias aliquas virtutes novè nobilitatus eſt, nobilem verum eſſe non exiſtiment, ſed ad minimum nobiles anteceſſores requirant quatuor, à quibus inſignium genera deduci & demonſtrari poſsint: Das vom Vater vnd Mutter / vnd derſelben Groß vnd Eltervater / auch Groß vnd Eltermutter / von alters her ererbtes Helm vnd Schilt auffzulegen ſey / oder das eines acht oder zum wenigſten vier Ahnen erweiſen werden könten. *Tiraq. de nobil. c. 6. Hip. d. loc. theor. 59.* Verum an hoc juſtè fiat

 meritò

meritò dubitatur, ob ea quæ dicta *ſup. th. 4. & ibid. alleg. l. diſputare. Schneid. tract. feud. p. 3. n. 53. Bodin. 1. de Republ. c. 10.* ſi novitatem, *ait Marius apud Saluſt.* jure objiciunt, idem faciant majoribus, quibus etiam ex virtute nobilitas cœpit: omnia enim quæ nunc vetuſtiſsima creduntur, nova fuêre. *Tacit. lib. 11. Annal.*

14. Matrum inſignium in computatione rationem haberi quod dicimus, id intelligendum, ſi nobilibus nupſerint, non ſi ignobilibus, hoc enim caſu gentilitia matrum inſignia liberos gerere non poſſe indubitatum, quia ipſa mulier conditionem ac familiam viri ſequitur, perq; eum nobilitatur. *l. fœminæ ff. de ſenat. l. mulieres C. de dignit. lib. 10. l. fin. C. de profeſſ. lib. 12.* & mariti radijs coruſcat. *l. fin. C. de nupt. Nov. 150. c. 2.* Quamvis conſuetudine nonnullis in locis aliter obſervari teſtetur. *Gregor. 7. de Rep. 11. & cum Forcat.* inter nobilitatem dignitatis, in qua ſolus pater, & nobilitatem generis & ſanguinis, in qua & mater conſideretur, diſtinguat.

15. Hujus loci quæſtio eſt illa pervetus: utrius, an qui ex genere, an vero qui ex propria virtute nobilitatur, major ſit dignitas? ſeu, an homo novus, qui famam virtutis egregiè eſt conſecutus, nobili ignavo ſit, præferendus? Deciſio ex prædictis latere neminem poteſt: nam nobilis genere à parentum virtute deficiens, ſuâpte culpâ genere cadit, & genus ingenuum improbat: recens vero virtus Reip. prodeſt & commendabilior eſt. Quod ſi tamen uterq; virtute præditus, haud dubio is, qui gloriam majorum virtute quæſitam conſtanti pectore conſervat, præferendus ei, qui nullo domeſtico exemplo incitatus ad nobilitatem pervenit. *Hip. ſæpè d. loc. theor. pen. & ult.*

16. Diximus nobilitatem eam in deſcendentes transferri, ad parentes enim & ſuperiores non tranſit, licet ex nobilitate filiorum aliquo modo cohoneſtentur, nec ad tranſverſales: quia privilegium eſt perſonale. *Hip. theor. 35.*

17. Nec tamen ad omnes deſcendentes tranſit, ſed ſolum legitimè natos; non etiam ad nothos & ſpurios: quia hi matris conditionem ſequuntur; *l. lex naturæ. l. cum legitimæ de ſtat. hom.* neq; agnationem à patre conſequuntur *l. ſpurij ff. unde cogn.* jam vero

vero quoad originem, honorem, dignitatemve filij, non matris ſed patris conditionem attendi argumento eſt *l. mulieres 13. C. de dignit.* niſi conſvetudine aliud obſervetur.

18. An adoptione ex ignobili nobilis fiat? elegans eſt quæſtio: nos, licet nonnihil illuſtrentur, non tamen fieri exiſtimamus, quia nobilitas, quæ à parentibus tranſit in filios eſt velut ex traduce: adoptivi autem non ſunt de ſanguine parentum. *l. qui in adoptionem 23. ff. de adopt. adde l. 3. C. de commerc. & mercat. Tiraq. de nobil. c. 15.*

19. Hujus nobilitatis notæ ſunt inſignia gentilitia, quæ ipſa rerum præclarè geſtarum ſigna ſunt; unde alij caſtella, alij aliaquibus virtutis ſuæ memoriam prodant, geſtant. *Hip. theor. 19.*

20. Privilegia & jura nobilium ſunt varia, quæ latè & eleganter *Tiraq. tr. de nobil. c. 20.* exponit: potiſsima habentur: 1. quod in adſequendis magiſtratuum munijs prærogativam habeant, & obſcuris ac ignobilibus, cæteris tamen paribus, præferantur *l. honor 14. §. de honoribus, ibi origo natalium ff. de mun. & honor. Nov. 15. in pr. ibi, viri quidem obſcuri, & c. 1. in pr. ibi, univerſi nobiliores, & c. 6. in fin. ibi unumquemq; nobilium.* 2. Quod teſtimonij dicendi vel jurisjurandi præſtandi cauſa domo ad tribunal non evocentur, ſed judex ad eorum domum Notarium, à quo examinentur, mittere teneatur. *l. ad perſonas egregias 15. ff. de jurej.* 3. quod, quamvis de crimine aliquo, excepto majeſtatis, ſuſpecti, & legitimis indicijs onerati, quæſtionibus ſeu tormentis ſubjici nequeant. *l. Nullus 4. C. ad l. Iul. majeſt. l. Divo Marco 11. C. de quæſt. l. ſeveram 10. C. de dign. l. omnes judices 33. C. de decur.* 4. quod ſi quid deliquerint, & pœna corporis infligenda venit, mitius puniantur quam plebeji, niſi crimen ſit atrociſsimum, *l. ſacrilegij 6. in pr. & §. 1. ff. ad l. Iul. pecul. l. Pedius 4. §. 1. l. ult. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr.* 5. quod ob æs alienum, cui diſſolvendo propter inopiam ſufficientes non ſunt, neq; bonis cedere, neq; creditoribus inſervitutem addici, neq; in carcerem conjici, neq; ultra quam commodè facere poſsint, exigi debeant, adeoq; ijs relinquendum, unde commodè vivere poſsint, & quidem ſumptus ampliores quam ignobilibus: *arg. l. miles 6. & l. item miles 18. ff. de re jud. c. non cogantur*

tur d. 41. 6. quod ob delictum aliquod ad pœnam pecuniariam damnati, ſi ſolvendo non ſint in corpore luere non cogantur: *Covar. 2. var. reſol. c. 9. num. 4. in fin.* quod ſecus in plebeis. *l. ult. ff. de in jus voc. l. ſi quis 7. §. 3. ff. de jurid. l. 1. §. fin. ff. de pœn. & ſimilib.* 7. quod ſint immunes à muneribus publicis, ideoq; non teneantur excubias agere, nec milites hoſpitio excipere, nec diurno aut nocturno tempore ad portas vigilare, nec loricis aut armis quæ alijs imponuntur civibus, inſtructi eſſe, nec ſimile munus obire. *l. præcipimus l. ſenatorum, l. quoniam C. de dign. lib. 12. adde l. medicos 6. ubi Dd. C. de profeſſ. & med.* 8. quod per procuratorem comparere poſsint in criminalibus *l. ult. C. de injur.* 9. Quod poſsidentes immobilia ſatisdare non cogantur. *l. quoties C. d. dign. lib. 12.* 10. quod ſi condemnentur, propter crimen ſuſpendio dignum, à furcæ ſupplicio ſint immunes. *arg. l. capitalium 28. §. non omnes ff. de pœn. Schrad. de F. p. 9. c. 3. n. 66. clar. §. fin. q. 60. n. 24.*

21. Cæterum nobilitas ea amittitur per infamiam & vitæ turpitudinem, (quia ſine honore nobilitas conſiſtere nequit) ex vilium, mechanicarum & illicitarum artium exercitio ortam, *l. ſi qua C. de ſec. nupt. l. 1. C. ubi ſenat. vel clariſſ. c. nobilis 2. q. 5.* adeò ut etiam filiorum, poſt delictum tamen & abrogatam nobilitatem editorum, nobilitati præjudicetur. *l. Divo Marco C. de quæſt. Tiraq. de nobil. c. 85. Schönb. 3. pol. 39.*

22. Quod de infamia, idem quidã nõ ſunt veriti de paupertate, & agricultura adſtruere: ſed abſurdiſsime: Etſi n. & genus, & virtus, niſi cũ re, vilior algâ eſt, ut canit *Horat.* non tamen tollitur, *arg. l. humilem C. de inceſt. nupt. adde ſup. theſ. 9.* Quod ad agriculturam diſting. *Ariſt. 7. pol. 9. & 10.* inter poſſeſſores agrorum, quos nil vetat eſſe nobiles, & inter cultores, qui ad ſervilia opera non parum deflectunt & ad ſordes abeunt. *Arniſ. 1. pol. 13. p. 314.*

23. Eadem facilitate rejiciuntur & illi, qui Doctorum inſignia magno faſtu truciq; ſupercilio adſpernantes, nobilitatem obfuſcari & deleri ſtatuunt, vel tituli gradusq; adſumptione, *vide orationem Mynſing. præmiſſam centur. 1. Speckhan*, vel munere advocandi *l. laudabile C. de advoc. diverſ. judic. l. quiquis in fin. C. de poſtul.* aut judicandi. *l. judices C. de dign. lib. 12. l. ſemper in pr. de jur. imm. Schonb. d. loc.*

24. De

24. De mercatura, an nobilitatem extinguat? graviſsimus eſt conflictus. *Iacob. Curt. Brug. tom. 1. conject. lib. 2. c. 29. in fin. negat. Mynſing. Keck. & alij* diſting. *Hipp. theor. 55.* niſi ſtatuto aut conſvetudine aliud receptum, adfirmat: cui nolentes volentes calculum ſubjicere cogimur *per l. nobiliores 3. C. de commerc. & merc. l. nequis C. de dign. lib. 12. l. milites C. de re milit.* Adde vel ſolam illam rationem, quia & ſic confuſio inter ſtatus ſubditorum ſtatuatur, privatorum lucra intercipiantur, & vitæ tolerandæ occaſio ijs præcipiatur, *vide Bod. 3. de Rep. 8.*

25. Porro nobiles quoad ſtatum imperij noſtri, duplices conſtituuntur: quidam enim ſunt imperij liberi, quidam principibus & ordinibus ſubjecti: illi immediatè & directò parent imperio, unde & die freyen vom Adel / die freye Ritterſchafft dicuntur, Reichs Abſcheid zu Augſpurg / *anno 1555.* §. vnd in ſolchen Frieden: Cammergerichtsordnung *p. 2. tit. 5.* & in tres claſſes diſtribuuntur, Franconicam, Sveviam & Rhenanam. Et hi non minus quam reliqui ſtatus imperij, de immediatè imperio ſubjectis loquentibus comprehenduntur, & habent jus ac privilegium Auſtregarum. Cammergerichtsordnung *p. 2. t. 3. 4. 5.* nec tamen inter ſtatus imperij referendi ſunt, uti experientiâ & ipsâ imperij matriculâ probat *Ioach. Cluten. in ſyll. rer. quot. th. 26. lit. k.* contra alios inter Principibus ſubjectos variæ ſunt differentiæ, ſecundum varias regionum conſvetudines.

26. Cum liberis nobilibus maximam habent affinitatem arcium nobilium poſſeſſores, vulgo die Ganerben / Burggraven oder Burgleute / quos ſic dictos putat *Ritterh. in partit. Feud. c. 17.* quaſi gemeine Erben / id eſt, communes hæredes & condominos. Alij derivant à Gehen / id eſt, ire ſeu proficiſci, ut ſint Ganerben / quaſi Gangerben: Alij à Gehe / quod feſtinantem notat, quaſi Ganerben ſint, ad quos hereditas à linea deſcendente veluti cito & feſtinanter tranſit, auff welche das Erbe eilet / alij à Gaan / id eſt, exopto, precor, non invideo, quaſi Ganerben ſint, welche jhren Erben gönnen frieden vnd einigkeit: quæ notatio optimè

F cum

cum fine, ob quem jus Ganerbinatus olim introductum fuit, convenit. Nam cum ante pacem publicam (quæ Landfrieden appellatur) ab Imp. Max. I. in comitijs Auguſtæ anno 1500. promulgatam, in Germania paſsim itinera eſſent minus tuta & ſecura, &, ut Germanici dicunt, das Fauſt Recht im ſchwang gieng/ latronesq; in arcibus apud ſui generis homines latrones in den Raub Schlöſſern latitarent, tunc arces munitiores ſibi extruxerunt nobiles honeſtiores & virtute excellentiores, in quibus cum familijs ſuis & rebus pretioſioribus ab aliorum invaſionibus violentis tuti eſſent: ut autem conjunctio horum eo major & conſtantior eſſet, & ſe, ſuos, ſuaq; eo melius defendere poſſent, fraternitates & confœderationes certis legibus contraxerunt, quas den Burgfrieden appellant. Hujuſmodi arces (Ganerben Heuſer) ſunt arx Rotenburgenſis, non procul Norinbergâ diſſita, Saltzburgenſis ad Salam in Franconia, Fridburgenſis & Gelnhuſana in Witteravia. Quarûm præclararum exemptionum privilegia referuntur *catalogo privilegiorum in verb.* Gelnheuſiſche Freyheit *fol. 425. 430. Paurm. lib. 2. de jurisd. imp. Rom. c. 8. n. 68.*

27. Pacta autem inter eos initia varia eſſe poſſunt, plerumq; tamen conveniri ſolet, ut maximus natu ſit adminiſtrator, (qui & judicis loco eſt, unde & Burggravius appelatur) bonorum, & pro onere adminiſtrationis partem aliquam fructuum ſibi habeat præcipuam, reliqui fructus dividantur æquis portionibus, inter reliquos conſocios. Et quidem pacta illa proculdubio ſunt ſervanda, dummodo non ſint contra bonos mores & contra leges ac jus publicum. *arg. l. 1. ff. de conſtit. pec. l. 1. ff. de pact.*

28. Tantum de nobilitate ſanguinis, ſubſequitur nobilitas perſonæ ſeu ſcientiæ, quam quis, licet infimo genere natus propter ſingularem literarum ſcientiam, Doctoris gradu adſequitur. *text. clar. l. providendum 7. C. de poſtul.* & JC. Ulp. dictus eſt nobilis *l. 2. in fin. ff. de excuſ. tut.* & nobiliſsimus *l. diximus 4. in fin. ff. eod.*

29. Et quod hi præter animi nobilitatem, politicam quoq; ſeu civilem habeant, in omnibus ante explicatæ comparatam, niſi quod ad hæredes non tranſeat, nullum prorſus eſt dubium. *Arniſ. 1. pol. 12. Chaſſ. in catal. glor. mund. p. 8. conſid. 12.*

30. Unde

30. Unde & omnibus, cum prædictis nobilibus, privilegijs gaudent, quare eminentiore loco præ alijs ſedere, aliosq; præcedere debent, ut notat *gloſſ. in §. aliam vero in verb. altiori inſt. de bon. poſſ. adde l. ult. C. de offic. diverſ. jud.* & injuria illis facta, pro atroci injuria reputatur, proindeq; gravius quam plebejo impoſita coërcetur *Men. 2. de A. I. Q. c. 3. caſ. 263. n. 17.* Quin & plus fidei ijs quam hominibus plebeis tribuitur. *arg. l. 3. de teſtib. Nov. 90. c.1.* Hinc ſiduo ſaltem Dd. teſtes ſint ex una parte, præferuntur tribus ex alia parte contrarium deponentibus: *c. in noſtra præſentia 32. ubi gloſſ. extr. de teſtib.* Ijsdem quoq; licitum ſine ſpeciali Imp. conceſsione nobilium inſignia cum apertis galeis, Wapffen mit offenem Schilt vnd Helm / gerere & uſurpare, dummodo ab inſignibus certæ familiæ proprijs abſtineant: quod privatis conceſſum non eſt, *arg. l. eos qui 27. §. ult. ff. ad l. Corn. de falſ. Chaſſ. d. loc. p. 1. concl. 23.* Et quæ alia ſunt privilegia quamplurima paſsim à Dd. explicata.

31. Utrum, ſi præter munus ſuum literarium alienis negotiationibus curam & operam impendant, ſuis privilegijs & inprimis immunitatis beneficio privandi? finaliter inveſtigare placet. Negativam defendemus, ſub ſequenti tamen limitatione, ſi rei literariæ præcipuè incumbant: quemadmodum in terminis Dnus. Præcept. *Cothman.* inter JCtos noſtri ſeculi facilè princeps latè & eleganter deducit & probat *in Reſponſ. Acad. 21. à pr. ad num. 18.* ubi etiam arg. contraria examinat.

ΠΑΡΕΡΓΑ

Ex tit. 13. & ſeqq. ad finem lib. 1. Inſtit.

1. *Patrem filio exheredato teſtamento tutorem rectè dare poſſe ſine confirmationis neceſsitate putamus.*

2. *Teſtamento tutorem dandi jus ob defectum poteſtatis matri non competere certum eſt: de facto tamen ab ea datum hæredibus à ſe inſtitutis, confirmandum arbitramur.*

3. *Servum proprium ſimpliciter teſtamento tutorem datum, directam, alienum fid. icommiſſariam conſequi, verius ducimus.*

4. Agna-

4. *Agnatis in tutela matrem & aviam, ſecundis nuptijs & SCto Vellejano renunciantes, præferri, poſtea vero ſecundò nubentes eâdem cadere adſtruimus.*

5. *Iudæos & hereticos pupillorum Chriſtianorum tutores eſſe poſſe affirmamus.*

6. *Tutelæ nomine tutorem dolum, culpam latam & levem, non etiam leviſſimam præſtare adſeveramus.*

7. *Pupillum ex contractibus ſine tutoris autoritate initis, ſemper naturaliter, locupletiorem factum ex D. Pij reſcripto etiam civiliter obligari credimus.*

8. *Tutoris autoritatem, neq; præcedere, neq; poſt ejus perfectionem interponi ſed ipſum negotium ſtatim ſubſequi debere ponimus.*

9. *Tutorem nullo caſu ſibi ipſi ſolvere poſſe à juris ratione omnino alienum eſſe exercitij cauſa defendimus.*

10. *Minorem ſine curatoris ſui autoritate civiliter non obligari cum communi dicimus.*

11. *Prodigis etiamnum hodie ipſo jure bonis interdici, perſvaſum habemus.*

12. *Res pupillares vel minorum immobiles, etiamſi periculum inundationis vel ſimile quid metuatur, ſine decreto, alienari non poſſe adſeveramus.*

13. *Satiſdationem fidejuſſores requirere, minimè ambigimus.*

14. *An ſola literarum imperitia excuſet? multas ob rationes dubitamus.*

15. *Legum Doctoribus ad tutelæ adminiſtrationem præ alijs idoneis excuſationem denegamus.*

16. *Non ſolum ob dolum ſed & ob latam culpam remotam infamem fieri concludimus.*

Collegij Politico Juridici
DISPUTATIO QUARTA

DE

MAGISTRATU
IN GENERE

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,
ex tit. 1. & 2. lib. 2. Inſtit. Imper.

Quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
IN ILLUSTRI HAC ROSARUM ACADEMIA
PRÆSIDE
JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,

PROPUGNANDAM SUSCIPIET
JOANNES FRIDERICUS LINCKIUS
Hagenoênſis Alſatus.

Ad diem 24. Junij.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

REVER. AMPLISSIMIS,
Conſultiſsimis, longáq; rerum experientiâ & uſu excellentiſsimis Viris,

DN. M. GEORGIO Hengher/
Verbi divini in Eccleſia patria præconi vigilantiſsimo.

DN. CHRISTOPHORO BERNERO, inclytæ Argentoratenſis Reip. Patritio graviſsimo.

DN. NICOLAO RICHARDO, celeberrimi ad Mœnum Francofurti civi primario.

Dnis. fautoribus, patronis, amicis & conſobrino ſuo ſummè colendis

Conſecrat & offert

Reſp.

Digitized by Google

Disputatio IV.

DE MAGISTRATU IN GENERE.

Thesis I.

DE prima Reip. parte, ſubditis nempe, generaliter *præced. duabus diſput.* poſtquam ſatis actum, operæ & temporis pretium erit, ut ad præcipuum difficillimumq; in politicis munus tranſeamus, & de magiſtratu in ſequentibus videamus.

2. Firmiſsimè vero in limine ſtatim hic concludimus, virum pium & Chriſtianum gerere magiſtratum non ſolum poſſe, ſed & oportere, niſi univerſa Reſpub. iniquiſsimis acerbioris fortunæ & peſtilentialis invidiæ procellis conquaſſata, naufragium indubitatò facere, & ſeſe ac omnes ſuos cives funditùs evertere debeat: quicquid etiam olim Anarchi illi & ἄτακτοι homines, teterrimiq; hæretici Donatiſtæ, ab Auguſt. refutati ſomniniârint, & etiamnum hoc noſtro tempore pervicaciſsimi Anabaptiſtæ inſaniant. *vide latè & eleganter Melch. Iun. p. 1. q. 7. Dan. 6. pol. 1.*

3. Cæterum materiam hanc de Magiſtratu ſuâ naturâ diffuſiſsimam quinq; capitibus pertractabimus: recenſendo 1. definitionem 2. modum conſtituendi 3. confirmationem 4. diviſionem: & deniq; adminiſtrationem.

4. Definimus magiſtratum (voce hic non abſtractè, pro nuda poteſtate ſolaq; autoritate, ſed concretè, pro perſona cum poteſtate conjuncta poſitâ) perſonam publicam, legitimâ imperandi poteſtate inſtructâ ad benè regendam Remp. Vel, partem Reip. imperium civile in ſubditos exercentem. *Hæn. diſp. pol. 3. th. 2.*

5. Ex prædicta definitione ſatis patet rectiſsimè *ab Arniſ. 1. pol. 16. & alijs politicis* perſonas Eccleſiaſticas, paſtores Eccleſiæ & Epiſco-

poſ magiſtratus geſtione removeri, quia opprobrium eſt clericis ſe peritos oſtendere velle rerum forenſium: *arg l. placet 17. l. repetita 41. verſ. abſurdum* C. *de Epiſc. & Cler. l. conſulta Divalia* C. *de teſtam. c. cum ad verum d. 96.* imo duobus dominis ſervire impoſsibile eſt, & cauſæ ſeculares longè diſcrepant à divinis *c. celebritatem, d. 3. de conſecr.* & malè ſonat Pſalterium cum cythara. *Ferrar. in form libel. reſponſ. rei convent. Gl. 18. n. 1.*

6. Conſtitutio magiſtratus eſt vel divina, vel humana.

7. Divina vocatur, qua ipſe Deus imperium magiſtratui, Dei ſimilitudinem, legationem ac vicem inter homines gerenti, immediatè decernit, cujus rei illuſtre exemplum extat in vocatione Moyſis *Exod. 3.* In tantum autem abeſt ut alijs humanis conſtitutionibus divinam illam excludamus, ut potius neceſſariò requiri certò ſtatuamus, quia, *teſte Apoſtolo,* nulla poteſtas niſi à Domino: Hinc eſt quod Magiſtratus noſtri; Dei gratiâ Von Gottes Gnaden/ſe conſtitutos ſcribant.

8. Humana eſt, quæ fit conſenſu ſubditorum vel expreſſo vel tacito: Eſtq; vel ordinaria vel extraordinaria.

9. Ordinaria duplici medio expeditur, electione, & ſucceſsione. De utroq; illo modo, quis utilior? antiquus, celebris & arduus eſt conflictus. Sunt enim qui electionem, alij qui ſucceſsionem prorſus damnant, nos utramq; Reip. utilem, & uſu receptam, obſervandam eſſe, in comparatione autem, utra melior? pro electione pugnandum ſtatuimus, non tam ob antiquitatem, quam ſummam utilitatem, quia digniſsimum quemq; & optimum, qui cæteros virtute & prudentia longo poſt ſe intervallo relinquit, quærit & invenit. *Tacit. 1. hiſtor.* Eligentes & electum arctiſsimo benevolentiæ vallo jungit, hoc eos propenſo & benigno animo, illis hunc favore & amore ardentiori proſequentibus. Reip. quoq; libertas aurea magis conſervatur: quia electus haud gravatim cynoſuram gubernandi, leges nempe fundamentales ſibi præſcribi patietur, quas in gubernando ob metum degradationis non excedet, magis ab exactionibus & expilationibus abſtinebit. Et ſi quæ ſunt alia commoda ex electione quæ magis emergunt & facilius quam ſucceſsione, quæ ſæpiſ-

Digitized by Google

ſæpiſsimè pro optimis magiſtratibus, Cambyſes aut Caligulas, natrices orbis terrarum, defert: *vide Keck. in utramq; partem lib. 2. Syſtem. c. 4. Schonb. 2. pol. 1.*

10. Electio eſt ordinarius imperium demandandi modus, per quem magiſtratus à ſubditis eligitur.

11. In ea conſiderabimus 1. cauſas ad actum electionis concurrentes: 2. ſubjectum: 3. effectum.

12. Cauſæ iterum ſunt vel principales, vel inſtrumentales.

13. Principales ſunt homines, quibus jus illud eligendi eſt commiſſum, ſive ſit univerſus populus, ſive populi pars primaria. Quemadmodum in imperio noſtro ſeptemvirale eſt collegium, cui jus eligendi Cæſarem competere dubium eſt prorſus nullum. *c. per venerabilem extr. de elect. Aur. Bul. tit. 7.* Nam Electores repræſentant & vices tenent omnium ordinum imperij, adeoq; univerſitatis, quocirca electio ab illis facta habetur ac cenſetur, quaſi tota univerſitas eam feciſſet: *l. item eorum §. ſi decuriones ff. quod cujusq; univerſ. nom. l. quod major 19. ff. ad munic.* unde & jus illud eligendi ijs ut collegio & omnibus, non uni tantum competere concludimus *contra Hoſtienſ. ad d. c. per venerabilem.*

14. De Pincerna Imperij, Rege nempe Bohemiæ; an ei votum competat? diſcrepans eſt multorum opinio: negat planè *Spec. Sax. lib. 3. art. 57. Abb. Stadenſ. ad annum 1240. Iacob. Spigel. & Krantz.* putant, eum ante auream Bullam nullum in electione votum habuiſſe: Alij aliter ſentiunt. Sed reclamat *Aur. B. tit. 7. adde etiam tit. 4. latè Hartm. Maur. in lib. de coron. Car. V.* Cæterum ſi paria ſint vota, & tres Electores in unum conſpirent, reliqui tres in alium, tunc Rex Bohemiæ arbiter & Palæmon extare dicitur, poteſtatemq; habere, alterutrum ex illis eligendi, & ad imperatoriam dignitatem evehendi. *Schonb. 5. polit. 33.*

15. Ad inſtrumentales cauſas referri poſſunt, partim jus, partim modus electionis.

16. Jus electionis eſt poteſtas certis illis hominibus conceſſa, quod jus pendet vel à lege ſcripta vel à conſvetudine diu in Republ. recepta & uſurpata.

17. Modus electionis cuiq; Reipub. certus eſſe ſolet: Ro-

mani noſtri Imp. eligendi forma & modus deſcribitur *in Aur. Bull. tit. 2.* In qua quoq; diſponitur, ne Electores ex Electionis loco, qui Francofurti ad Mœnum eſt, decedere queant, quam ſi legitima, omnibusq; numeris abſoluta electio fuerit & peracta: item, quod ſi ſpatio 30. dierum non conſenſerint, pane & aqua tamdiu alendi ſint, donec voluntates eorum in unum conſpirent.

18. Generaliter tamen ad modum electionis pertinet, quod vel fiat per ſuffragia, vel per ſortes.

19. Per ſuffragia electio quæ fit, dicitur principalis, & fieri debet publicè in regni conventu ſeu comitijs, & per ſuffragia procerum libera, id eſt, nec coacta ab eo qui eligi vult, nec muneribus aut blanditijs corrupta: *Keck. l. 1. Syſtem. c. 4.* unde & in Imp. noſtro obtinet, ut elegendi facultatem amittat elector, qui pecuniam pro ſuffragio accipit. *Sim. Piſtor. conſil. 1. n. 30. & ſeqq.*

20. Eſtq; vel voti liberi, cum licita eſt ſuffragatio in perſonam quamcunq; ad magiſtratum magis idoneam, ſive ea ſit ejuſdem ſive diverſæ nationis & conditionis: & eâ Polonos uſos & etiamnum uti tradit. *Herbur. 1. Pol. hiſt. c. 12.* vel reſtricti & determinati ad certas perſonas, gentem vel familiam, quâ imperium noſtrum etiamnum ex Car. IV. *in Aur. Bull.* proſcripto utitur, & ad faſces neminem admittit, qui ſe non ex ſanguine Germano ſatum docere poſsit. *vide Schled. lib. 1. ſub anno 1519.* ubi Moguntinus cordatè & eleganter pro ea conſvetudine diſſerit.

21. Per ſortes, vel alio aliquo caſu fortuito electio quæ fit, dicitur minus principalis, quia ad eum eligendi modum rarius eſt deveniendum, & non niſi neceſsitate cogente, quando videlicet ratio & conſilium deficit, & præſertim quando Candidatorum diſcordibus eligentium votis nominatorum par eſt, genere, virtute & opibus alijsq; requiſitis conditio: tum enim quin ſorti res committenda & decidenda ſit, quicquid alij diſſentiant, non dubitamus, ob exempla, quæ hinc inde occurrunt, tum in jure divino, *Num. 16. 26. 33. 36. Deut. 1. 1. Para. 26. Actor. 1.* tum humano *l. 13. ff. de judic. adde l. generaliter §. proinde v. ff. de de fideic. libert. l. 2. poſt pr. C. quando & quib. quart. pars lib. 10. vide latè Toloſ. 4. de Rep. 14. & in Syntagm. jur. univ. lib. 34. c. 5. Bod. 6. de Rep. c. 5. Keck. d. loc.*

22. Utrum

Digitized by Google

22. Utrum curſibus equorum aut ſimilibus certaminibus equeſtribus electio ſit committenda? hujus loci quæſtio eſſe poteſt. Negativa plerisq; recentioribus ob fraudem & dolum eò in caſu adhiberi ſolitum, placet. *Keck. d. loc.* ubi exemplum Leſci, *de quo Herburt. in Chron. Pol. lib. 1. c. 8.* urget.

23. Subjectum electionis eſt perſona ad imperium idonea, vel ex toto populo, vel ex certo ejus genere aut ordine cooptanda: ubi quædam principaliter, quædam minus principaliter requiruntur.

24. Prioris generis ſunt ſexus & bona animi.

25. Quoad ſexum, ad potiorem & naturâ ac lege capacem deferri magiſtratus debet: eſt autem is *teſte Ariſt. 1. pol. 5.* maſculinus, quia natura eum ἡγεμονικώτερον in omni animantium genere effecit. Pro gynæcocratia ſeu imperio mulierum multa quidem adferunt inter Polit. *Iohan. Caſ. in Sphær. lib. 1. c. 3. Lipſ. 2. doct. civ. c. 3.* inter JC. *Bocer. claſſ. 5. diſp. 8. Bronc. cent. 2. adſ. 81.* Nos quidem planè imperium mulieribus non denegamus, nec tamen ordinariè ijs concedimus, ſed tantum extraordinariè, inprimis ſi conſvetudo in quodam loco ſic jubeat, aut inevitabilis quædam neceſsitas alia poſtulet: Nam vel ipſius Dei judicio miſera cenſetur Reſp. cujus habenas moderatur fæmina *Eſ. 3. Adde Gen: 3. Epheſ. 5. Col. 3. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3.* Natura etiam fæminarum quaſi ipſa reclamat, quæ potiſsimùm callida, meticuloſa, laboribus impar, ſententiâ levis, malorum & injuriarum impatiens, crudelis, loquax, garrula, faſtuoſa, adverſus propria incommoda plerunq; laborans *l. ſi pater in fin. C. de ſponſal.* Quin & honeſtas publica reſiſtit, quæ contra pudicitiam ſexui congruentem virilibus conventibus & officijs ſe immiſcere mulieribus non permittit. *l. 2. ubi Dd. de Reg. Iur. vide latè Toloſ. 7. de Rep. 11. Bod. 6. de Rep. 5. Keck. d. loc.*

26. Bona animi quæ in magiſtratu eligendo requiruntur ſunt virtus, & eruditio.

27. Virtus ideo requiritur, quia impoſsibile ut alios quis contineat, qui ſe ipſum non continet *Cic. pro leg. Man.* aut etiam commodè puniat illa flagitia quibus ſe quoq; eſſe affinem novit, ſed iſtud tritum audire cogitur *medice cura te ipſum: Iun. p. 1. q. 20.*

Spectari

Digitized by Google

Spectari autem virtus illa poteſt, vel reſpectu Dei, vel ſuiipſius, vel aliorum.

28. Dei reſpectu eſt pietas, quam inprimis Plato in magiſtratu eligendo requirit *lib. 3. del.* ſine qua non eſt quod boni quid ſe effecturum quisquam cogitet: *vide Mel. Iun. d. loc.*

29. Ipſius magiſtratus reſpectu requiruntur potiſsimum: 1. temperantia & ſobrietas, nam *teſte Cic. pro Feſt.* miſſos facere honores, nec attingere Remp. debent, qui voluptatibus ducuntur, & cupiditatum ſeſe lenocinijs dederunt, quia, *ut rectiſsimè Tac. 2. hiſtor.* ut ignava animalia, ſi cibum ſuggeras, jacent torpentq; , & præterita, inſtantia & futura pari oblivione dimittunt. Cum contra ſobrietas, *teſte Auguſt.* ſit mentis & ſenſus, membrorum omnium, corporisq; tutela, caſtitatis pudicitiæq; munimentum, pudori proxima, honeſtati ſemper conjuncta, cunctaq; cum ratione diſponens. Unde certamina potatoria à noſtris Principibus inſtitui ſolita, quam deteſtanda, nemo eſt qui non videt, 2. Caſtitas, ut ſcil. non tantum corpus ab omni maculâ purum conſervet, ſed etiam occaſiones ad impudicitiã ducentes, ſpurcaq; colloquia, ſanguine viperino cautiùs evitet. *Iob. 31. verſ. 1.* Quemadmodum enim apes vehementer oderunt homines à coitu olidos, ita ſubditi magiſtratum libidinoſum execrantur & deteſtantur: 3. magnanimitas, ut neq; perturbationi animæ, neq; hominis, neq; fortunæ ſuccumbat. *Cic. 1. offic.* Sed adverſus convitia, maloſq; rumores firmus ſit ac patiens, neq; tam facilè lubricum linguæ ad pœnam trahat *l. 7. ff. ad l. Iul. Majeſt. l. un. C. ſi quis imp. maledix.* 4. fortitudo, quæ munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile dicitur *à Sen. epiſt. 113.* 5. modeſtia, ne ſcil. ob fortunæ indulgentiam, rerumq; proſperitatem ebrius luxuriet, ſed potius ex monito *Plin. in Paneg.* non minus hominem ſe quam hominibus præeſſe cogitet: ſeq; ab illa lege & conditione omnibus indictâ mortalibus non eſſe exemptum. *Vide de his latè Keck. lib. 1. Syſt. c. 3.*

30. Aliorum reſpectu requiruntur vel maxime: 1. prudentia naturâ & uſu adquiſita, ut videlicet intelligere & deligere noſcit res, quæ publicè privatimq; fugiendæ aut appetendæ, atq; ea

quæ

Digitized by Google

quæ ſibi, quæq; alijs conducunt,diſpicere poſsit. Huc facit,quod magiſtratus ſint oculi civitatis, quibus excæcatis, reliquæ partes non vident. *Melch, Iun. par. 1. q. 20* unde & adſentimur *Keck.* verſutum magis & callidum, quam nimis ſimplicem magiſtratum, in caſu ubi unus eorum eligendus, optanti *1. Syſt. 3.* 2. Juſtitia, quia magiſtratus debet eſſe jus quoddam animatum, & lex loquens *Ariſt. 5. Eth. 4.* & verè Saturninum eſt ſeculum, ſicubi ad amuſsim juſtitiæ rectè vivitur. 3. Clementia, cum ſeveritate conjuncta, quæ firmum & ſtabilem reddit magiſtratum: unde rectè *Sen.* Qui vult amari, languidâ regnet manu. *& Cic. pro Ligar.* Non ullâ aliâ re homines ad Deum accedunt propius, quam ſalutem hominibus dando. 4. Liberalitas, digna profectò virtus faſtigio principali, ideoq; à Diocletiano propria principum dos dicta eſt. *Pomp. Lat. in Diocl.*

31. Eruditio porro & doctrina per quã ſit neceſſaria in eligendo magiſtratu latè exponere ſupervacuum judicamus. Etſi enim non defuerũt,& etiamnum ſunt principes,in defectu planè peccantes, qui vix ullum; aliquot ſaltem vocabula Latina ſcientem & loquentem; in aula ſua patiuntur, tantumq; haſtiludia, venationes, aucupia, & ſimilia, exercitia heroica, libroſq; Scholaſticis homuncionibus reliquendos exiſtiment: Non tamen è contra unquam defecerunt, & inprimis hoc noſtro ſeculo literatiſſimo, qui & bellorum & pacis tempus ſibi commiſſum; ſine ſcientia non gubernari, magnum & difficile munus, curam ingentem à Deo injunctam absq; doctrinæ beneficio expediri non poſſe laudatiſsimè putarint: multas rationes & exempla; *vide apud Melch. Iun. p. 1. q. 18. Lipſ. lib. 3. doct. civ. c. 2.* & eleganter refutantem adulatores, qui principibus juvenibus, quod literæ principem non deceant, perſvadere conantur, *Caſtell. lib. 1. de offic. Reg. c. 12.* Si tamen magiſtratus ita ſe totum dedat literis, ut res gerendas omittat, famæ ſuæ non conſulit: *vide latè Keck. 1. Syſt. c. 3.*

32. Potiſsimum autem magiſtratus ſibi adquirat, cognitionem artium, linguarum & eloquentiæ, quò populum admodum inſolentem, delicatum, contumacem ſuâ oratione mollire & levigare poſsit: diſciplinarum item practicarum,& duarum facultatum ſuperiorum, Juris & Theologiæ, ſcientiam non contemnendam.

33. Cæterum minus principaliter in electione magiſtratus quæ ſpectanda ſunt vel bona corporis, (ut ætas, ſtatura, forma) vel extra corpus poſita (ut facultates, ortus, familia.)

34. Ratione ætatis diſceptatur, potiusne ſenes quam juvenes eligendi? atq; adeo, an juveni ullatenus gubernacula Reip. committenda? juvenibus non conferri debere ſvadet ipſa ratio, quia ad rectè gubernandum maturitas judicij & varius rerum uſus, eam ætatem fugiens, requiritur, jubet ipſa natura ætatis juvenilis flexilis & prona in voluptates & flagitia, hortatur juris civilis autoritas *l. ad remp. 8. ff. de mun. & honor. l. 2. §. fin. ff. de jur. immun.* Nec minus etiam contra ſenes diſputari poteſt, quod irriſui & faſtidio, avari & in rem ſolum attenti ſint, nihilq; poſſint niſi quod vellicent ac ſcommate excipiant, quodq; prudentia eorum evanuerit & exacuerit; ideoq; ſceptri incapaces meritò ſint. Quare nec pueros, nec penitus immaturos adoleſcentes, ſed nec climactérem magnum & fatalem ingreſſos, ſed mediæ ætatis homines eligendos cenſemus. Mediam autem ætatem ab anno 30. ad 60. dicimus. Nec tamen juvenes poſt 25. annum aptos prorſus excludimus, cum & ex A.B. præſcripto, ad Electoratus & alios principatus imperij admittantur juvenes 18. annorum. *vide de quæſt. hac apud Melch. Iun. p. 1. q. 14. Keck. 1. pol. 2. & alios plerosq;*

35. Quantum ad ſtaturam, quia auguſtam perſonam auguſtum decet corpus, eligendus magis homo proceræ ſtaturæ, quam humilis, ut ſubditos ad majorem venerationem & reverentiam iſtâ externâ & in oculos incurrente ſpectabilitate corporis atq; majeſtate commoveat, cæteris tamen paribus, ut ſemper dotes animi præferantur, multi enim fuerunt pulchro & procero corpore, at interim animo malo, ut Saul *1. Reg. 9.* Abſolon *2. Reg. 14.* & non fruſtra vulgo dicitur parvo in corpore magnam ſæpe virtutem, ſub deformi corpore mentis vim abſconditam latere. *vide ante citatos ſuis locis.*

36. Quod de ſtatura idem quoq; de formæ præſtantiâ, in apta membrorum proportione & coloris ſvavitate poſita, adſerimus. *Caſ. 3. pol. 11.* Nam præſtat regem quam regnum oculo carere, præſtat regem quam regnum claudicare.

37. Quantum facultatem attinet, controvertitur apud politicos,

ticos, an divites in demandando magiſtratu pauperib. præferendi? pro divitibus, opibus & potentia mediocri valentibus; concluditur communiter, quia occaſionem habent majorem adquirendæ experientiæ, magisq; cupiunt in luce vivere, pauperes vero deliteſcere. Quin & egeſtas plerunq; ad malum proclivis eſt, *Prov. 30. Eccleſ. 27.* vel, ſi non ſit, curâ rerum domeſticarum impedita, negotia tamen publica negligit, aut precijs, donationibus & affectibus circumagitur, quæ omnia de divitibus non facile præſumi poſſunt. Adde inſuper, quod res ac pecunia obſidis & pignoris eſt loco apud Remp. & amoris in patriam: Et ſummatim, qui benè rebus ſuis conſulunt, etiam publicis proſpecturos veriſimile eſt, ut contra qui ſibi malus eſt, alijs bonus neutiquam erit, nec diligentiam atq; prudentiam in Rep. adhibebit, qui domi ſuæ prodeſſe neſcit: *Iſocr. ad Dæmon.* cæterum omnia hæc cum mica ſalis accipienda monemus, ſi ſcil. cum facultate adſit virtus, aliàs pauperem virtuoſum unum decem divitibus præferimus. *Ariſt. 3. p. 3. Caſ. in ſphær. c. 7. Iun. p. 1. q. 17. Keck. 1. Syſt. 2.*

38. Ortus quoq; ratione ſollicitè inquiritur, an peregrini potius, an vero incolæ magis eligendi? pro ijs, qui in illo ipſo ſolo, ad quod regendum accedunt, ſati natiq; ſunt, diſputabimus, quia morum animorumq; provinciæ gnâri melius & animoſius curabunt res patriæ communis, quæ in ſe ſingularem quandam conſcientiæ obligationem continet: Nam juxta illud tritum, tribus naſcimur, & tribus obligamur præcipuè, Deo, Patriæ, & nobis. Provocabunt ſubditos amore & benevolentia ad culturam virtutis & morum conſvetorum, è contra alienigenæ juxta id quod in ipſorum patria uſitatum, ſubditos emendare non ſine æmulatione ſtudebunt. Præterea res valdè præjudicioſa eſt & in contemptum gentis cedens, ſi exterum magiſtratum quærat, quaſi ita novercam habeat patriam, ut neminem producat tam excellenti virtute præditum, qui dignus ſit, ut ad patriæ gubernacula promoveatur: Accedunt exempla populi Judaici *Deut. 16.* Lacedæmoniorum, *Plut. in Lycurg.* venetorum *Patricius lib. 3 de inſtit. reip. tit. 2.* & laudatiſsimæ noſtræ Germaniæ, cujus decus imperij ad exteros perferendum non eſſe jam *ſuprà theſ. 26.* monuimus. Verum enimvero hæc ita regulariter obtinent, ſecus ſi circum-

 ſtantiæ

ſtantiæ ſingulares, conditio & neceſsitas regni (ut quia fortè per indigenas turbatum, ab ijs reſtaurari nequeat, vel ſi libertatis ſuæ æquabilitatem commodè ſervare non poſsit, ſi ex incolis ad gubernacula aliquem adſumat) exteri præſidium & ſceptrum requirat. *Melch. Iun. d. loc. Keck. d. loc.*

39. Familiæ inſuper ratione, nobiliori loco & familia ortos ex ignobilioribus parentibus progenitis pleriq; præferunt, ob ipſius ſtemmatis & inſignium reverentiam, lucem, & venerationem, omnibus jamdudum quaſi implantatam, ſi modò digni ſint virtuteq; reliquos excellant, aliàs non tam homines, quam hominũ actiones in benè conſtituta Rep. conſiderandas eſſe, eiq; plurimum tribuendum, cujus animo virtus ineſt, rectè monet *Ariſt. 3. pol. 8.* & humiles plurimos evectos teſtantur exempla hiſtorica, *Gen. 41. Iud. 6. Dan. 8. Eſther. 10. 1. Sam. 10. & 16.*

40. Porro cum in magiſtratum omnes ſuos oculos fixos habeant, inq; vitam ejus, velut ſpeculũ intueantur, dictaq; ſimul & facta animadvertant, communiter omnes politici Electores hortantur, ne eligant, vitâ viles, ſordidarumq; artiũ profeſſores, puta ultimos negotiatores, monetarios & ſimiles *l. 6. C. de dign. l. un. C. negot. ne mil.* nec improbatæ vitæ viros & notatos infamiâ *l. 2. C. de dign. l. un. C. de infam. l. 12. ff. de decur.* nec criminis publici reos *l. libert. 17. §. in quæſt. l. Lucius 21. §. antepen. ff. ad munic. l. un. C. de reis poſtul.* nec hæreticos. *Nov. 45. à princ. usq; ad §. enimvero.* De Judæis *text. eſt in l. generaliter 3. §. fin. ff. de decur. l. 17. C. de jud.* nec ære alieno nimium gravatos *l. 6. §. debitores ff. de mun. & hon.* nec ambitioſos *l. un. ff. ad l. Jul. de amb. Schonb. 2. pol. 7.*

41. De cauſis & ſubjecto electionis ſatis fuſè hactenus: Effectus eſt ut electus ita ritè delatum munus ſuſcipiat, ſed quia ob ejus difficultatem abhorrent, ſeq; ſerio (nam quidam ſub recuſationis ſpecie flagrantiſsimè imperium affectant) multi excuſant, hinc non levis controverſia, an invitis & recuſantibus magiſtratus tamen offerendus, & quodammodo obtrudendus? Et quamvis Leoni Anthemioq; Impp. indignus videatur ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus *l. ſi quemquam 31. in fin. C. de Epiſc. & Cler.* Attamen quia inviti carent ſtimulis ad res benè gerendas, invitumq; velut violentum diuturnum eſſe nequit, ſi delectus haberi

poſsit,

poſsit, ac plures ſint excellentes & ad principatum apti, ac tempora Reip. ſint libera & extremis neceſsitatibus non expoſita, neminem cogi debere arbitramur. Secus ſi unus dictorum caſuum ſe offerat. *vide Caſ. lib. 5. c. 7. q. 4. lun. p. 1. q. 8.*

42. Tantum de electione: Succeſsio eſt modus conſtituendi magiſtratum ordinarius, per quem magiſtratui prædeceſſori vitâ defuncto ſuccedit alius.

43. Eſtq; vel teſtamentaria, quâ is, quem ultima prædeceſſoris, plenum jus diſponendi de ſuo regno habentis, ſucceſſorem eſſe voluit, ſuccedit: Et hunc modum ſuccedendi eſſe legitimum apud omnes politicos eſt in confeſſo: Solus *Cranzius lib. 2. Dan. c. 3.* dubitat: Vel legitima ſeu ab inteſtato, quando nempe legibus ſine facto hominis magiſtratus, liberis primò, *arg. l. 12. de ſuis & leg. l. cum ratio 7. ff. de bon. damn.* & poſt eos agnatis ſecundum gradus prærogativam defertur. Hic modus cum Monarchiæ proprius ſit *Keck. Syſt. lib. 1. c. 4.* reliquæ, quæ hic conſiderandæ eſſent, in ſeq. diſceptationem differemus.

44. Ad extraordinariam Magiſtratus conſtitutionem, referimus præter explicatos duos modos, omnes alios, juſtos tamen. Plerunq; tamen dividitur in armatam & togatam.

45. Armata eſt, cum jure belli regnum aliquod occupatur à Magiſtratu, atq; adeo, quando populus armis ſubigitur & vi conſtituitur imperium, quodcunq; enim captum eſt ex hoſtibus, dominio victoris ſubjicitur. *l. naturalem 5. §. fin. l. adeo quidem 7. in princ. l. transfugam 51. ff. de A. R. D.*

46. Modos plerunq; faciunt duos 1. ſi magiſtratus ab alio bello & armis regno pellatur & excutiatur. Armis dico, juſtis tamen, juſtaq; ex cauſa ſuſceptis. Secus ſi vel animo amplificandi imperium, quia juſta cauſa belli non eſt, ſed quaſi latrocinium & homicidium: quemadmodum Turca magnam orbis terrarum partem ſubegit: vel ob propriam gloriam & commodum, quia non ad magiſtratus ſed ad Reip. utilitatẽ bellum dirigendũ, quis ſuſcipiat. *Caſm. c. 36. vit. polit. Hippol in Princ. c. 2.* 2. cum barbari homines, qui ſine imperio licentioſè vivunt, armis ſubiguntur, ut ab immanitate priſtina ad vitæ civilis Deiq; cultũ traducantur. Qui tamen modus à multis multùm indubium vocatur: nec malè,

 uti-

uti remur, quia invaſio in barbaros juri naturali contraria eſt, neq; violatio juris naturæ, ut quod barbari comedant carnes humanas, & promiſcuo concubitu utantur, neq; infidelitas tollit jus humanum, ex quo rerum dominia deſcendunt. *vide Boter. de jur. Bel. c. 1. Lipſ. lib. 5. c. 4.*

47. Togata eſt cum jure quaſi contractus & obligationis magiſtratus obtinetur: quod fit jure *cum* legitimæ emptionis, *tum* donationis, quemadmodum Rex Galliæ Delphinatum à Principe Umberto anno 1349. accepit, eâ lege ut Regis filius natu maximus Delphinus diceretur, & ditionem illam tanquam imperij feudum ab imperio recognoſceret. *Theod. Nihem. lib. 2. hiſt. c. 25.* Ex eodem titulo cucullatus Papa Roman. ſuum ſuorumq; imperium demonſtrare annititur, ſed quam falsò *in ſeqq.* dicemus. *tum* dotis, cujus rei exempla multa in Principibus Germaniæ habemus. Maxim. I Imp. ductâ in uxorem Mariâ, Caroli Burgundiæ Ducis bellicoſi filiâ ſortitus eſt Belgium. Philippus ejus filius, ductâ Johannâ Regis Ferdin. filiâ, univerſam Hiſpaniam. Albertus Archidux ductâ Iſabellâ potiores Belgij provincias. Sic Henricus Haſsiæ Landgravius ductâ Philippi Comitis in Catzenellobogen filiâ, vivo adhuc ſocero de eo comitatu inveſtitus eſt. *Rittersh. 1. part. feud. c. 16. n. 20.* *Tum* deniq; fœderis ac pactorum familiarium ſeu gentilitiorum, ut alterius ſtirpe extinctâ ad alterum patrimonium eorũ & magiſtratus certâ ſucceſsionis lege perveniant. Dicuntur illa pacta Erbverbrüderung/oder Erbvereinigung/ ſuſcepta eo fine ut ex mutua & ſtabili ſucceſsione, defenſione, fide & concordiâ fraternâ, familiarum ſeneſcentium ſplendor & dignitas conſervetur: ideoq; ijs pacem publicam inniti tradit *Knich. de jur. Sax. c. 2. n. 78.*

48. Ut autem pacta illa ſint legitima, neceſſe eſt ut ſint reciproca, & non ſolum paciſcentes, ſed & ſucceſſores obligantia: unde & ſibi invicem defenſionem & mutua auxilia debent *Hippol. à Coll. tract. de Princ. c. 3.* ſint ſuffulta confirmatione ſuperioris *Geil. 2. obſerv. 127. n. 5.* Habeant conſenſum Principum confœderatorum, ut & ſubditorum vel tacitum vel expreſſum, unde & homagium omnibus confœderatis Principibus præſtare coguntur. Quæ tamen præſtatio vivente naturali domino non importat ſubjectionem,

nem, aut ullam aliam jurisdictionem, *vide Gail. d. loc. Hip. d. loc. Laudenſ. in tr. de confœd. Princip.*

49. Talia pacta eſſe tradunt inter Duces Saxoniæ & Landgravios Haſsiæ: quibus poſtea acceſsit domus Brandeburgica. *Chytr. in Chron. Sax. lib. 18.* Renovatio facta eſt Naumburgi ad Salam an. 1555. *Schled. lib. 26.* Item: Inter Electores Brandeburgicos & Duces Pomeraniæ. *Chytr. d. loc. lib. 5.* inter Duces Bavariæ & Palatinos Principes *Bodin. l. b. 1. c. 2.* inter Reges Poloniæ, Bohemiæ & Ungariæ. *Chyt. d. loc. lib. 12. VVarem. ab Erenb. tr. de fœderib. c. 2. n. 35.*

50. Hucusq; de Magiſtratus conſtitutione, eam ſequitur confirmatio, quæ fit inauguratione & jurejurando.

51. Inauguratio eſt ceremonia ſolennis & publica, quâ in poſſeſsionem quaſi inducitur, mittitur & inveſtitur magiſtratus novus: ejus veſtigia extant in V. T. *Num. 27. 1. Sam. 10. 1. Reg. 1.*

52. In ea conſiderare ſolent politici: 1. partes: 2. adjuncta: 3. finẽ.

53. Partes ſunt: 1. cum magiſtratus in publico ſiſtitur & proclamatur: 2. cum inſignia regni ei traduntur, 3. cum ſacris initiatur publicè in templum deductus, & divino numine invocato vel inungitur, vel alio modo conſecratur: 4. cum fit publica adclamatio & congratulatio. *vide Tolos. 6. de Rep. c. 20. Schled. lib. 19.*

54. Adjuncta ſunt, partim circumſtantiæ quædam, ut publicæ epulæ, ſpectacula inauguralia, partim inſignia, qualia ſunt vel res, vel picturæ, vel tituli. Res ſunt plerunq; corona, faſcia, pileus, diadema, ſceptrum, gladius; haſta, pomum, globus, liber fœderis & legis, claves, ſecuris, virgarũ faſces, baculus, amictus & veſtitus purpureus, holoſericus, regius & ſi quæ ſunt ſimilia. Picturæ ſunt inſignia, ſigillum Principis in ſpecie ſic dictum, item Symbolum. Tituli continent vel eminentiam principalem, vel ditiones, quibus imperant. *vide latè ante alleg. quibus adde Keck. 1. Syſt. c. 4.*

55. Inauguratio hæc quemadmodum in Imperio noſtro expediatur, teſtatur abunde coronatio invictiſsimi noſtri Principis Matthiæ I. ante biennium Francof. ad Mœnum edita. Illud obiter addimus, ex more antiquo, electo recens Imp. triplicem coronam impoſitam, Aquiſgrani ferream ab Electore Colonienſi, ad deſignandam ferream contra rebelles ſeveritatem, Mediolani ab ejus loci Epiſcopo argenteam, ad ſerenitatem & ſplendorem futuræ:

turæ præeminentiæ oſtendendum, Romæ auream à Pontifice, ad mores Principis auro conformes adumbrandos nitoremq; ejus ſignificandum: de vi hujus aureæ coronæ agemus *infra* commodiori loco.

56. Jusjurandum eſt, quo ſe Princeps ſubditis concepta juramenti formula obligat: *vide Nov. 8. in fin.* in imperio noſtro vocatur capitulatio, cujus tenorem ex præſcripto Carolino refert. *Schledan. lib. 1. p. 23. vide Clem. un. de jurejur. c. tibi Domino d. 60. Rittersh. part. feud. lib. 1. c. 10.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.
Ex lib. 2. Inſtit. Imp. tit. 1. 2.

1. *Jus piſcandi certo fluminis publici loco præſcriptione neminem quærere poſſe, ut alterum eodem loco piſcari prohibeat, remur.*

2. *Cognitionem in confinio duorum territoriorum occiſi, ad eum, in cujus territorio caput reperitur, pertinere falſum credimus.*

3. *Venantem contra prohibitionem à domino factam captas feras ſuas facere dicimus.*

4. *Ut in alieno fundo venari, ſic in alieno lacu & ſtagno piſcari licitum eſſe, juri magis conſonum ducimus.*

5. *Jus venandi Principes & alios nobiles hodiè ſibi tantum vendicare à ratione alienum non putamus.*

6. *Actionē furti quamvis famoſam, ob rem etiā minimā competere, adſeveramus.*

7. *Res captas ex hoſtibus omnes indiſtinctè occupantiū fieri credere vix poſſumus.*

8. *Inſulam in flumine natam etiam uſu eorum eſſe qui proxima prædia habent exerc. cauſ. defendimus.*

9. *Bonæfidei poſſeſſorem omnes fructus ſuos facere arbitramur.*

10. *Eum quoq; conſumptos omnes, licet locupletior factus ſit, non reſtituere, ſed tantum extantes adſtruimus.*

11. *Uti picturæ tabulam, ſic ſcripturæ chartam cedere à vero alienū opinamur.*

12. *Theſaurum in loco ſacro vel religioſo inventum inter inventorem & fiſcum dividendum credimus.*

13. *In fundo Emphyteutico theſaurum repertum, Emphyteuticario totum, ſi ipſe, pro parte dimidia, ſi tertius invenerit, adquiri ponimus.*

14. *Ad dominij per traditionem translationem, inductionem in vacuam poſſeſſionem neceſſariam non eſſe ferè perſvaſum habemus.*

15. *Jure quidem incognitam vulgatam dominij diſtinctionem in directum & utile, docendi tamen gratia retineri poſſe, minimè ambigimus.*

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO QUINTA

DE

MAGISTRATUS DISTINCTIONE, UBI DE MONARCHIA.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit. 3. 4. 5. lib. 2. Inſtit. Imper. excerptis.

Quam

DIRIGENTE DIVINA CLEMENTIA

IN ILLUSTRI HAC ROSARUM ACADEMIA

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

DEFENDET

EDZARDUS STAMLER,

Friſ. Orient.

Ad diem 29. Junij.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

VIRIS

Ampliſſ. prudentiſſimis, eruditiſſimis,
longâq; rerum experientiâ præſtantiſſimis,

Dn. BALTHASARI BESELIN,
Dn. HENRICO KNUBBERTO, } inclyti hujus Roſtochij civib. patritijs.

Dn. M. JOHANNI PELARGO, magni noſtri Theologi filio, Medicinæ Cand. ſolertiſsimo,

Dn. JOHANNI HALLERFORDIO, Civi & Bibliopolæ Roſtoch. inſigni.

Dnis. Promotoribus, fautoribus & amicis meis jugiter colendis,

Politico-Juridicum hoc exercitium lito & inſcribo

Reſp.

DISPUTATIO V.

DE MAGISTRATUS DISTINCTIONE, UBI DE MONARCHIA.

THESIS I.

MAgiſtratus conſtitutione & ordinatione præmiſſâ, quemadmodum diſtinguendus in præſentia videndum.

2. Diſtinguitur autem duplici modo, ratione nempe poteſtatis & ratione numeri.

3. Ratione poteſtatis magiſtratus eſt ſummus, vel inferior.

4. Summus in genere dicitur, qui totius Reip. curam gerit, & jus habet imperandi magiſtratui inferiori: Dividitur autem in ſecundum quid ſummum, qui alium ſuperiorem recognoſcit: & ſimpliciter ac abſolutè ſummum, qui ſuperiorem humanum magiſtratum non admittit, & jura Reip. adminiſtrat & executioni mandat. *Hæn. diſp pol. 3. theſ. 35. & ſeqq.*

5. Definit autem *Ioh. Althuſ. in pol. c. 6.* jura regni vel Reipub. ejuſmodi jura ſecundum quæ ex communi placito vita ſocialis ſeu Reſp. intra membra ejus inſtituitur & regitur. Addimus regni vel Reip. quia jus tale non Regi tantum vel Monarchæ tribuendum eſt, cujus erroris *Toloz. 8. de Rep. 9.* vix tamen ſuo merito arguit *Arniſ. 1. pol. 10. in pr.* ſed cuivis perfectæ Reip. competit. *Alber. Gent. de jur. Bel. c. 3.*

6. Suntq; duplicia: Jura majeſtis, & leges fundamentales. Hæc enim duo eaq; diverſa jura omnes legitimas Reſp. conſtituunt & conſervant: ab illis Reſp. abſolutè & in ſe conſiderata eſt vel Monarchia vel Ariſtocratia vel Democratia: Ab his eſt reſpectu regnicolarum vel populi hujus vel illius, Reſp. aut Græcorum aut Romanorum, aut Germanorum, hæ enim conſtringunt

quaſi jus majeſtaticum ad populi in quacunq; juſta Rep. indolem & utilitatem. *vide Ariſt. 3. pol. 10.*

7. De majeſtate vix ullus eſt veterum;vel Latinorum;vel Græcorum; politicorum, nec recentiorum, qui aliquid ſcriptum reliquerit, præter unicum *Bodin.* quem hactenus conferta Politicorum cohors, ut prævium gruem ſecuta eſt, paucis exceptis, qui eum, quod in primis de re aliqua cogitationibus perfrequens, ut omnibus numeris abſolutæ non ſint, definiendo & dividendo vehementer erraſſe tradunt. *vide Tob. Paurmeiſt. lib. 1. de jurid. Imp. Rom. c. 3.*

8. *Bodin.* definit majeſtatem ſummam in cives & ſubditos, legibusq; ſolutam poteſtatem. Sed eam *Paurmeiſt. d. loc. pag. 30.* triplici nomine falſam dicit, obſcuritatis, anguſtiæ & malæ ſubductionis.

9. Nos antequam definiamus, duplicem eam eſſe præmittendum putamus: unam Reipubl. vel Imperij, quæ Realis, alteram perſonæ Reip. propoſitæ, quæ perſonalis nuncupatur.

10. Majeſtas Reip. cum Rep. naſcitur, imperio eſt coæva,neq; per deceſſum regis vel principis expirat, ſed quamdiu corpus regni durat, permanet, etiam ſub ipſis interregnis & alterationibus gubernationum, interitq; ſolum cum ipſa Rep. & hanc quidam legem fundamentalem dicunt, *de qua poſtea.*

11. Majeſtas perſonalis eſt quæ in perſonam collata transferri ex perſona alia in aliam poteſt,totaq; ex Reip. poteſtate dependet, inde fit ut majeſtati regni regnantis majeſtas tanquam ſuperiori obſtringatur, & in fæderibus quandoq; regni majeſtas non regis exprimatur. De hujus perſonalis potiſsimum jure politici agunt.

12. Eſt vero tale jus Majeſtatis ſumma ſeu abſoluta perpetuaq; poteſtas in perſonas ac res ſuæ ditionis, ſive ad ſalutem animi ſive corporis pertineant: Unde & primariò in Eccleſiaſticum & Politicum dividitur. *Alth. in pol. c. 6. Keck. pol. 32. VVaremund. ab Erenb. in veriſim. de Regn. ſubſid. c. 2. n. 9.*

13. Jus Majeſtatis Eccleſiaſticum eſt, quo poteſtas diſponendi ordinandi & curandi media de religione vera,Deiq; cultu, ex verbo di-

bo divino introducendo, conſervando & defendendo corpori politico conceſſa eſt: De hoc jure *infra* ſuo loco fuſiùs agemus, & quam falsò hactenus in imperio Rom. Papa uſurpaverit dicemus.

14. Jus Majeſtatis Politicum vel civile eſt, quo poteſtas diſponendi, ordinandi & procurandi media, quæ ad utilitatem temporalem corporis politici pertinent, conceſſa eſt.

15. Hoc jus *Bodin. 1. de Rep 10.* dividit in capita octo: quæ ſunt: 1. legem univerſis ac ſingulis dandarum poteſtas. 2. belli ac pacis arbitrium. 3. creatio magiſtratuum. 4. extrema provocatio. 5. jure vel injuriâ damnatorum, contra vim legum ac judiciorum liberatio, ſive de capite & fama, ſive de bonis omnibus agatur. 6. jus exigendi juramenti fidelitatis ſine cujusq; exceptione. 7. nummi percutiendi, ac conſtituendi pondera ac menſuras, poteſtas. 8. vectigalia ac tributa imperandi.

16. Verum diviſionem hanc Bodinianam triplicis erroris arguunt: 1. anguſtiæ, *cùm*, quia jurisdictionis omnimodæ in ea non ſit mentio, ſed unius tantum particulæ, videlicet provocationis extremæ, *tum*, quia indictio munerum perſonalium omittitur, cum ultimum ejus caput tantum ſit portio realium. 2. latitudinis: quia primum ejus caput, jus legum ferendarum, de ſubſtantia Reip. non eſt, cum liberum ſit majeſtati vel præſcriptis legibus imperare, vel ſine lege certa, ſine jure certo, ut in prima Rep. Rom. *l. 2. in pr. de orig. jur. Iuſtin. lib. 1. in pr. Tac. 3. Annal.* Tertium quoq; ejusdem farinæ eſt, id eſt nec de eſſentia Reip. nec perpetuum, cum in arbitrio imperantium ſit, per præfectos, curatores, magiſtratus, vel manu regia omnia adminiſtrare. Quintum ex parte impium & falſum adfirmant: Sextum per ſe ad eſſentiam ſummæ poteſtatis nihil facit, ſed confirmat tantum obligationem ſubditorum, quâ Reip. communi jure, & ſponſione majeſtati tenentur: Septimum continetur in primo. 3. ſpecierum oppoſitarum relationis, quæ eſt in eo quod *cap. 4.* extremam provocationem dicit eſſe juris majeſtatici, quæ certè eſt pars jurisdictionis, quam tamen paulo antè *d. l. n. 150.* majeſtatis propriam pernegat. *vide latè Paurm. d. l. p. 31.*

17. Breviter dividi poteſt in primarium vel principale, quod

 de

de ſtirpe duarum rerum, armorum videlicet & legum, *in pr. conſtit. de Iuſtin. C. confirm.* eſt; poteſtas juris dicendi, & poteſtas belligerandi. Vel ſecundarium ac ſubſidiarium, quod eſt poteſtas indicendi munera, tam realia quam perſonalia: nam quia duo prædicta diverſa Reip. munera abſq; opera hominum, conſiliariorum nempe & miniſtrorum, tam domi quam foris neceſſariâ & ſumptu expediri non poſsit *Tacit. 13. Annal* munerum perſonalium & realium indictio per conſequentiam ſeu ſecundariò caput majeſtatis conſtituenda eſt. *Toloz. 3. de Rep. 1. & 6. VVarem. ab Eremb. in veriſim. c. 3. & ſeqq.*

18. Sed hæc de juribus majeſtatis in genere hic prælibare placuit, ſpecialius de ſingulis *infra* ſuis locis agetur: ſequuntur leges fundamentales, quæ ſunt leges regni, communi conſenſu ſancitæ & approbatæ, ſub quibus hæc vel illa Reſp. ſingulatim ita conſtituta eſt, & quibus tanquam fundamentis nititur. *vide Keck. 1. pol. 6.*

19. Leges illæ ut plurimùm ſunt de Reip. commiſsione, de ſummi magiſtratus conſtitutione, de pacis & tranquillitatis publicæ conſervatione. Ejuſmodi erant olim in regno Iſraëlitico de 12. tribubus conſervandis, de bonis extra tribum ſuam non alienandis. *Num. 36.* De rege non extraneo ſed ex tribu Judæ & ſtirpe Davidis eligendo *Deut. 17. 1. Chron. 28. 2. Sam. 7.* Imperij noſtri Germanici fundamentales leges extant *in Aur. Bul. Car. IV.* magna parte receſſuum Imperij, conſtitutione de pace religionis, tranſactione Paſſavienſi. Regni Galliæ leges refert *Franc. Hot. lib. 1. de antiq. jur. regn. Gall. c. 23. Antimach. lib. 1. theor. 1. in med.* inter quas præcipua eſt lex Salica, ex qua regnum illud in colum non cadit. Aliarum Rerump. alij: Nulla enim hodiè datur Reſp. quæ certis legibus fundamentalibus & capitulationibus (uti vocant) non adſtringatur. *Alth. d. c. 6. Dan. 3. pol. 6. Paurm. d. l. c. 17.*

20. Hactenus de magiſtratu ſummo: inferiores ſunt omnes illi qui ſuperiorem recognoſcunt.

21. Ex hiſce præcipuos *Hæn. 3. pol. 43.* ait eos, quibus à populo (ex cauſa neceſsitatis, quia impoſsibile civium ſuffragia à ſingulis exigi poſſe *Althuſ. c. 14.*) Reip. ſumma eſt demandata, ad

magiſtra-

magiſtratum ſummum auxilio conſilioq; juvandum, & intra limites officij continendum. Unde dicuntur Ephori, item patricij, ſeniores; principes, ſtatus primioreſve regni, officiarij, conſiliarij, contutores, inſpectores & obſervatores magiſtratus ſummi.

22. Horum quanta vis & quam magna cura in omnibus Rebuſp. habita & quis modus conſtituendi. *vide apud Tholoz. lib. de Rep. c. 4. 14. & 15. Hot. de antiq. jur. Gall. regn. c. 19. & 23. Keck. 2. pol. 4.*

23. De eo graviter diſputatur inter politicos: An Ephori ſummo magiſtratu ſuperiores? *Hotom. alleg. loc. c. 12. Iun. Brut. in vindic. contra Tyran. q. 3.* affirmant, eosq; *Althuſ. in polit. c. 14.* ſequitur; quatenus conſiderantur ut univerſi, & univerſum populum repræſentant, non ut ſinguli & ſigillatim conſiderati: Nam illis Ephoris prius data eſt poteſtas, quam magiſtratui ſummo Reip. ſumma commiſſa: unde & magiſtratus in arduis negotijs ad ſummam Reip. pertinentibus ſine optimatum conſilio nihil decernere vel agere debet *1. Chron. 13. 1. Reg. 8. & 20. 1. Sam. 1. Ierem. 26. Proverb. 24. Steph. Iun. Br. d. q. 3. vide tamen Keck. ante d. loc. diſtinguentem.*

24. Ephoris hiſce in Imperio noſtro ſemptemviri comparantur *juxta Albin. de famil. VVittichind.* quamvis in gravioribus publicis cauſis reliqui ſtatus concurrant: unde & *Hen. ante d. diſp. th. 44. 45. 46.* dividit Ephoros, in generales, quibus totius regni tutela cura & inſpectio demandata, talesq; dicit noſtros Electores: & ſpeciales, quibus provinciæ, regionis vel partis certæ tutela commiſſa: quales dicit reliquos Duces, Marchiones, Comites, Barones.

25. Ratione porro numeri magiſtratus dividitur, in Monarchicum, ubi unus tantùm rerum potitur, & Polyarchicum, ubi plures ſummam Reip. tenent.

26. Et ea ratione ipſe ſtatus ſeu forma Reip. duplex eſt: vel unius ſeu Monarchica, vel multorum ſeu polyarchica, & hæc viciſſim vel paucorum vel omnium: illa in ſpecie dicitur Monarchia, iſta Ariſtocratia, hæc Democratia. Et has tres Rerump.

ſpecies pleriq; antiquiores & recentiores politici agnoſcunt, & vitia Rerump. ab ipſis Rebuſp. diſtinguunt. *vide Keck. 2. Syſt. 2. Arniſ. 1. pol. 8.*

27. Ab accidenti igitur aliquo externo, veluti paupertate & divitijs diſtinctionem Status dum *Ariſtot.* ſumit *3. pol. 5. circa fin. & 4. pol. 4. in pr.* longè à vero aberrat: qualitercunq; etiam eum defendere conetur *Picol. gradu 10. c. 8. vide Bod. 2. de Rep. 1. Arniſ. 1. pol. 7.*

28. Sed antequam ad ſingulas formas explicandas pergamus, commodè primò quærimus, quænam illarum formarum ſit optima? *Siman. 3. de Rep. 2. & 3. Bod. 2. de Rep. 2. & 6. c. 4. Thol. 5. de Rep. 3. & 4. Hipp. à Coll. in Princ. c. 1. Arniſ. 1. pol. 10.* pro Monarchia tanquam pro aris & focis depugnant, ſolâ ipſius præſtantiâ attentâ: *Herod. in orat. Otanis 3. Matth. Sutlivius lib. 1. de Pontif. Rom. in Eccleſ. domin. 2. & 3. Calv. lib. 4. Inſtit. c. 20. §. 8.* Ariſtocratiæ excellentiam deprædicant: Alij aliter ſentiunt. Nos hanc controverſiam decidimus diſtinguendo inter id quod per ſe & ſui naturâ nobiliſſimum: & id quod ratione ſalutis civium præſtantiſſimum eſt. Priori modo Monarchiam palmam deferre non ambigimus: Nam ſtatus eſt. 1. ſimpliciſſimus, propterea quia in unitate conſiſtit, & multitudinem ſubditorum ad naturalem unitatem reducit. 2. maximè ordinatus ob eandem unitatem reliquorumq; ab ea dependentiam: 3. omnium firmiſſimus & maximè duraturus, quia nempe maximè unus eſt, & ordinatus, quod a. maximè unum eſt difficulter, dividitur. 4. antiquiſſimus *Gen. 10. v. 8. & ſeqq. Bodin. d. loc.* 5. ad finem Reip. propoſitum aſſequendum magis idoneus, quia facilior ibi eſt gubernatio, ſive ſpectes inventionem conſiliorum, ſive eorundem executionem, atq; adeo ſi ſpectes legum vel promulgationem vel executionem *vide poſt antè pro Monarchia allegatos Kecker. 1. Syſt. 1.* Poſteriore modo optimam ex tribus illam cenſemus, quæ maximè alicujus gentis indoli, moribus, loco, commercijs alijsq; circumſtantijs convenit. *vide Dan. 1. pol. 6 in fin. Adde Thol. 5. de Rep. 3. in pr.*

29. Monarchia eſt ſtatus Reip. in quo uni alicui præcipua gubernationis ſeu adminiſtrationis cura commiſſa eſt: *vide Dan. 1.*

Pol.

Pol. Chriſt. in Aphoriſmis profan. tit. quot Reip. formæ n. 3. Steph. Iun. Brut. in vindic. contra tyran. c. 3.

30. Uni dicitur cura commiſſa, quia Monarchia eſt poteſtas conſortis impatiens: non tamen omnis, ſed præcipua, quia & optimatibus ſeu Ephoris quandam commiſſam jam ante diximus. Cæterum ille unus dicitur Monarcha, & olim, vocis ſignificatione nondum in pejus receptâ, Tyrannus: unde rectè *Senec. de Clement. l.* Tyrannus diſtat à rege factis non nomine. Poſtea vero, ut & adhuc, pro more cujuslibet gentis, nuncupatus eſt Imperator, Rex, Princeps, Dominus, Dux, Judex: *latè Tholoz. 6. de Rep. 4. & ſeqq. Althuſ. c. 32.*

31. Monarchia dupliciter dividi poteſt: vel ratione conſtitutionis: vel ratione circumſtantiarum.

32. Ratione conſtitutionis, tot ejus conſtitui poſſunt ſpecies, quot ſupra diſp. præc. modos magiſtratum ordinandi enumeravimus. Præcipuè tamen à modis ordinarijs ac voluntarijs diſtinguitur Monarchia in electivam & hæreditariam.

33. Electiva eſt, in qua, ſpreto natalium jure, populi ſuffragijs novus Princeps deſignatur. *Lipſ. 2. pol. 4.* Hujuſmodi fuit olim Regnum Gothicum & Sarmaticum: hodiè ſunt Romano-Germanicum, Hungaricum, Bohemicum, Polonicum, Danicum, Svevicum. Quamvis in duobus poſterioribus regnis conſvetudine hodiè ſucceſsio introducta videatur. *Keck. 2. pol. 4.*

34. Hæreditaria ſeu ſucceſsiva eſt, ubi Regis honos gentilis & hæreditarius eſt, & Princeps à Principe naſcitur. *Lipſ. d. loc.* qui tamen natus continuò Rex non eſt, ſed ex populi demum conſtitutione & Regni commiſsione: Unde rectè *Brut. in vindic. contra Tyran.* dicit, in ſucceſsivis Regnis Reges non tam naſci quam fieri, nec tam Reges, quam Regum candidatos haberi. Tale Regnum fuit Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Ægiptiorum, Aſiaticorum, Parthorum, Æthiopum, Numidarum & plerarumq; gentium: Hodiè eſt regnum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Scotiæ.

35. Cæterum ſucceſsionem hanc eſſe vel deſcentium, vel collateralium, ſeu legitimorum agnatorum, ſecundum gradus

K prære-

prærogativam diximus *diſput. præced. theſ. 42.* Et regulariter quidem maſculorum: *arg. eorum quæ d. diſp. th. 25. tradita ſunt.*

36. Nomine Deſcendentium intelligimus Liberos naturales & legitimos ſimul: ſpurios vero & naturales quantum, ijs ſucceſsionem juſtè derogari, ex ll. Romanorum planiſsimum eſt: juxta quas illi non ſuccedunt, niſi in bonis maternis. *§. fin. Inſt. ad SC. Orfic. Nov. 89. c. 12.* Si igitur in privati hæreditate ſpurio ſuccedendi locus non datur, quanto minus in regno, à quo ipſum abigerent peculiares rationes, licet in privatis bonis ſuccederet. Quinimo non abſolutè ad materna bona admittuntur, ſed ſi mater illuſtris ſit, excluduntur *l. ſi qua illuſtris C. d. t.* quare in Regni ſucceſsione locus ei non dabitur, licet Gynæcocratia alibi vigeat. Unde *Bald. in l. cum legit. ff. de ſtat. hom.* ſordes non merentur poni inter præcipuos. Adde *expr. text. juris Feud. §. naturales, ſi de Feud. cont. ſit inter dom. & agnat. Vaſ. 2. F. 26. adde arg. Deut. 23. v. 2. Gen. 21. v. 10. c. in cunctis 7. & c. invaluit 20. de el. &c. & paſſim t. t. de fil. præsbyt. Tholoz. 2. de Rep. 8. Iun. 2. q. 16. Arniſ. 2. pol. 9.*

37. Inter ipſos tamen liberos legitimo matrimonio natos in regni ſucceſsione non par ſemper omnium eſt conditio, ſed omnibus cæteris fratribus primogenitus præferri ſolet, non ſolum ob prærogativam ætatis, ſed inprimis ob favorem publicæ utilitatis, ut nempe firmius ſit & diuturnius regnum, quod fore putatur, ſi penes unum remaneat, ne inter plures, ad inſtar bonorum privatorum *l. pen. in fin. C. com. div. l. ut liberi. l. illud §. ult. de collat. l. inter filios C. fam. herciſc. l. ſi poſt mortem §. ult. ff. de bon. poſſ. cont. tab. c. fin. Novel. 22. & ſimilibus* dividatur: Primogenitus autem præ reliquis præfertur, non quod præſumatur melior, ut autumat *Tiraq. tract. de primog. quæſt. 4. num. 31.* id enim in Eſavo, Ruben, Caino & alijs falſum eſſe veterum monumenta docent, ſed quia genitura dignitas quædam eſt, cui Regni ſucceſsionem inniti ex omni jure, divino, naturali, gentium & moribus noſtris egregiè probant *Arniſ. d. loc. Tholoz. 7. de Rep. 5. & 7. Bodin. 5. de Rep. 2. Adde autoritatem juris Feud. in §. firmiter de prohib. F. alien. per Frid. 2. F. 55.* Sic tamen primogenitus præfer-

tur,

tur, ut teneatur fratribus ſuis attribuere & adſignare tantum redituum, ut ſtatum ſuum poſsint cum decoro tueri: quia alimenta ex bonis paternis debentur liberis ex lege naturæ. *l. 1. §. hujus ſtudij ff. de I. & I. c. jus naturale d. 1. l. cum ratio 7. ff. de bon. damn.* Alimenta autem debent reſpondere dignitati perſonæ. *l. 5. de agnoſc. lib. l. 3. & 4. C. de al. lib. Keck. 1. Syſtem. 4.*

38. Sed quid? ſi gemelli naſcantur, uter eorum præferendus? primò in lucem editum potiorem habemus: *arg. Gen. 25. v. 25. & ſeq. l. Areſcuſa 15. ff. de ſtat. hom.* Quod ſi neſciatur quis ſit primogenitus, res ſorti committenda. *Tholoſ. ante cit. l. Tiraq. d. tract. q. 17. n. 2.*

39. Si vero primogenitus moriatur relicto filio & fratribus: cuinam in ſucceſsione locus dandus? ſi primogenitus regnum iam poſsiderit, non eſſe dubium, quin nepos prævertat patruum, ſed ſi ante initum regnum deceſſerit, tantam vigere controverſiam tradit *Arniſ. 1. pol. 9.* ut *ICti. Hot. illuſt. q. 3. Tiraq. d. tract. q. 40. Covar. in qq. Practi. c. 38. 70.* JCtos inter ſe diſceptantes nominare potuerint. Pro nepote tamen ſtrenuè militant, prædicti autores, quibus adde *Tholoz. 7. de Rep. 10. Forſter. in tr. de ſucceſ. ab inteſt. lib. 2. c. 18. n. 55. Fachin. 6. controv. 2.* Propter jus repræſentationis, ob quod nepos patre mortuo recidit in avi poteſtatem & ſuus hæres fit, eandemq; portionem in bonis avi capit, quam habiturus eſſet ejus pater ſi viveret. *Nov. 118. §. ſi quis ig. tur; auth. in ſucceſ. C. de ſuis & leg. hær.* quod jus & in Feudorum ſucceſsione locum habet *§. 1. de ſucceſ. Feud. t. t. de nat. ſucc. Feud.* Adde quod filius, primogeniti primogenitus dici poſsit, quia perſonam ejus repræſentat *l. ſi cui uſuſr. inſulæ ff. de uſuſr. l. domum §. ſi vero, de contr. empt.* In Germania noſtra de ſeptemvirorum liberis expreſsè deciſum eſt in Aur. Bul. Car. IV. *rubr.* Von der Erzbiſchoffen ſegen / ſ. vnd ſol der Erſtgeborne Sohn.

40. Non minor difficultas exurgit, ſi ante adeptum regnum patri naſcatur filius, iterumq; alius poſt adeptum, uter alteri præferri debeat? *Bald. & cum eo quidam ICti* alij diſtinguunt, inter

K 2 regnum

regnum avitum & novum, à patre jure belli vel aliàs quæſitum: ſed ponderatis deciſionis rationibus, diſtinctionem fruſtrà adhiberi facile adparebit. Nam filius ſuccedit, quia Regnum hereditarium, & tale non minus eſſe poteſt à patre adquiſitum, quam per ſucceſsionem quod obtigit: Quæcunq; enim pater bona adquirit, tam corporalia, quam jura, tam allodialia quam feudalia non magis naſcendis adquirit, quam jam natis *l. 3. l. ſi quis 8. C. de ſecund. nupt. l. nihl intereſt de bon. libert. l. ſcripto ff. unde lib.* Quin & tempore mortis demum bona paterna in diviſionem veniunt, non vero tempore adquiſitionis *l. 6. C. de in off. teſt.* At tempore mortis, æquè qui ante, quam qui poſt regnum adeptum natus, filius eſt. *Adde arg. l. ſenatoris ff. de ſenat. l. 2. §. in filijs ff. de decur. Tholoſ. 7. de Rep. 9. Arniſ. d. loc. Val. Forſt. d. tract. c. fin. à num. 27.*

41. Porro primogenitum adſumendum eſſe omnem, etiamſi ob vitium corporis vel animi, quia vel mutus vel ſurdus vel alteri cuidam affectui obnoxius, ad regnandum inhabilis videatur, ſvadet *Keck. 1. pol. 4. pag. 117.* tum enim, ut & in caſu ſi adhuc in utero, vel minor, vel ab hoſtibus captus, tutores vel curatores agnati vel cognati conſtituendi ſunt. *Thol. lib. 26. de Rep. c. 5. Dan. 3. pol. 6.*

42. Tantum de prima Monarchiæ diviſione, ratione conſtitutionis: reſtant aliæ diſtinctiones ex circumſtantijs, à quibus imperfectionem aliquam accipit.

43. Accidit autem illa imperfectio 1. ratione ſexus, ſi princeps non ſit vir ſed fæmina, etiamſi prudentia & virtute excellat, quales multæ lectæ auditæ & viſæ ſunt: ut Debora *Iud. 4.* Artemiſia *Herod. lib. 4.* Cornelia Grachorum mater. *Quinct. lib. 1. cap. 1.* Candace in Meroê Inſula, *Plin. lib. 6. cap. 29.* Irene Leonis IV. uxor, Iſabella Hiſpanica, & Eliſabetha Angliæ Regina. *vide Caſ. lib. 2. Sphær. civ. c 3. ſed hac de re diſput. præc. theſ. 25.*

44. 2. Ratione poteſtatis, *cùm* propriè ſic dictæ, quando quis ſuperioris poteſtatem agnoſcit, ita ut obedientiam ei debeat,

Digitized by Google

beat, quamvis interim ipſe magnam juris abſoluti partem obtineat in ſuos ſubditos: Tales Monarchæ ſunt Principes Germaniæ, nempe ſuorum Principatuum reſpectu, agnoſcunt enim ſuperiorem & perfectiorem Monarcham ipſum Imperatorem. *Tum* impropriè ſic dictæ, idq; *vel* honoris tantum cauſa, quando Monarcha agnoſcit aliquem ſuperiorem non ratione poteſtatis, ſed tantum ratione honoris, gradus ac tituli Principatus. Ita Princeps qui planè non eſt ſubjectus Electori, tribuit ei ſuperiorem tamen locum. Elector Regi &c. *vel* tributi cauſa, quando Monarcha non debet alicui obedientiam, ſed tantum tributum aliquot ratione ſpecialis alicujus pacti. Quemadmodum illud notum de maximis Monarchis, etiam ipſo noſtro Imperatore, quod Turcico Imp. eo modo quid pendat. *Vel deniq;* pactorum ſpecialium cum ſubditis initorum, quæ quidem reſtringunt Monarchicam poteſtatem ſed non tollunt: qualia ferè inter omnes Europæ Reges & ſuos ſubditos hodiè eſſe teſtatur *Keck. 1. Syſt. c. fin.*

45. 3. Ratione temporis, cum Monarcha non habet perpetuum imperium ſed tantum ad tempus reſtrictum: Tales fuerunt Dictatores Romani: item Lacedæmoniorum Reges belli tempore electi.

46. 4. Ratione territorij, ſi morchicè quis imperet in parvo ſuo territorio; ut antiquitus erant reges propè ſingularum civitatum, inprimis in India orientali & occidentali. Huc referunt Comites, Barones & Nobiles imperij, qui ſunt Monarchæ ſui territorij, ſuorum pagorum nempe aut oppidorum.

47. Hoc loco pulchra politica quæſtio moveri poteſt: An feliciores futuræ ſint politiæ, ſi adhuc ſingulæ urbes à ſingulis regibus regantur, quam nunc ſunt, quando ab uno homine tot provinciæ & regna gubernantur? *Keck. in præcogn. p. 21.* decidit eam ſequenti modo, quod magis futurum eſſet è re, tam ipſorum regum, qui facilius & rectius gubernare urbem quam regnum & provinciam poſſent, paucioribus egerent conſiliarijs, nec ita

facilè ſuâ potentia abuterentur; quam urbium, niſi indigerent neceſſaria communicatione cum vicinis.

48. Verum enimvero arcana, quibus Monarchia rectiùs conſervari poſsit, quædam à politicis traduntur: quæ præter virtutes *præced. diſp.* omnibus magiſtratibus præſcriptas, ſunt potiſsimum: *ut*, quia impoſsibile, ut unus tantum gubernationis munus rectè ſine aliorum ope obire poſsit, Ephoros & optimates ſuos Monarcha commodè conſulat, nec tamen ab uno ita ſe occupari patiatur, ut ad illius nutum omnia agat, aut unus ille vel pacis vel belli tempore in regno omnia poſsit. *Bod. 2. de Rep. 5. & 6. Antimach. 1. Theor. 1. Tholoz. 24. de Rep. 7. Ut* Comitia ſint rariſsima, quia, ſi ad plerorumq; negotiorum publicam conſultationem ordines & ſtatus frequenter admittantur, abſolutæ Principis poteſtati non parum decedit *Keck. 1. pol. 6. p. 155. Ut* Princeps ad gubernacula regni deſtinatus non facilè peregrinetur, cum ob pericula noſtrorum inprimis temporum, tum propter neceſsitates Principatus, qui non diu poteſt ferre abſentiam Principis. *vide Steph. Pighium in Hercule Proditio, ſeu in peregrinatione Principis Iuliacenſis Caroli,* ubi non longè à principio hanc quæſtionem in conſilio iſtius Principis graviter in utramq; partem recenſet. *Ut* arces, caſtella, propugnacula, ſummo ſtudio, præſertim ad limites & portus præcipuos regni (ſi maritimum) extruantur & cuſtodiantur, non modo ut hoſtium incurſiones avertantur, ſed etiam ne ex regno quivis poſsit effugere, aut ea, quæ exportanda non ſunt, exportare. *Thol. 2. de Rep 3. Hip. à Coll. de increm. urb. c. 6.* Quo præcipuo arcano Rex Hiſpaniæ & Angliæ ſua regnorum latifundia hodiè conſervare & amplificare fertur, *vide Keck. 1. Syſtem. 22. p. 355.*

49. An Princeps ob ætatem decrepitam ſit à gubernatione amovendus & ei ſubſtituendus talis, qui viribus corporis & animi integer? concluſivè hic inquirere lubet. Sunt qui planè negant, ſunt qui rigidè affirmant; alij qui diſtinctione, inter regnum ſucceſsivum & electitium conciliant. *Keck. 1. Syſtem. 3.* Nos quibus accedendum, in ipſo conflictu videbimus.

CAPE-

ΠΑΡΕΡΓΑ.

Ex tit. 3. 4. 5. lib. 2. Inſtit.

1. Prædia urbana & ruſtica, juxta quæ ſervitutes reales dividuntur, non loco, ſed materia ab invicem diſtingui, certum eſt.

2. Servitutes reales ſine prædijs conſtitui poſſe non credimus.

3. Servitutem ſine utilitate prædij dominantis præſenti vel futura conſtitui non poſſe dicimus.

4. Jus altius tollendi ædes, ſervitutibus urbanis adnumerare non ambigimus.

5. Servitutes haſce, altius non tollendi, & ne luminibus officiatur, diverſas eſſe affirmamus.

6. Sine ſervitutis jure, nobis aperto pariete noſtro feneſtras, ex quibus in alienum proſpiciamus, invito domino habere licere, credere vix poſſumus.

7. Servitutes prædiales oppignerari poſſe indiſtinctè negamus.

8. Servitutes prædiales uſucapione adquiri poſſe non dubitamus.

9. Vſusfructus in cauſalem & formalem diviſionem repudiamus.

10. Vſumfructum partem dominij aut fundi propriè dictam eſſe non admittimus.

11. Fructus anni ultimi maturos & adhuc pendentes non ad hæredes defuncti fructuarij ſed ad proprietarium pertinere arbitramur.

12. Veſtimentorum quaſi uſumfructum eſſe ſub diſtinctione verum ducimus.

13. Cautionem, de quaſi uſusfructus ſubſtantia eſſe probari ex jure vix poſſe putamus.

14. A teſtatore tamen eam remitti poſſe non admittimus.

Digitized by Google

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO SEXTA

DE

AULA PRINCIPIS, UT ET DOMINATU AC TYRANNIDE.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit. 6. 7. lib. 2. Inſtit. Imper. excerptis.

Quam

AUSPICE CHRISTO

IN ILLUSTRI HAC ROSARUM ACADEMIA

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

JOHANNES HANNEMANNUS

Wilſtriâ Holſatus.

Ad diem 2. July.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Clariſsimo atq; Excellentiſsimo Viro,

Dn. MARTINO FABRICIO,

artis Medicæ Doctori apud WILSTRIENSES experientiſsimo, conſobrino ac tutori ſuo ſummâ obſervantiâ colendo:

UT ET

Reverendis, pietate & eruditione præſtantiſsimis, deq; Eccleſia Dei optimè meritis Viris,

Dn. M. MICHAELI BOETIO,

Eccleſiæ quæ WILSTRIÆ eſt, paſtori digniſsimo ac vigilantiſsimo, compatri ſuo omni obſervantiæ & obſequij cultu εἰς ἀΐδιον proſequendo:

Dn. FRANCISCO ALARDI,

Eccleſiæ ad S. Margaretam in HOLSATIA paſtori fideliſsimo, affini ſuo plurimum honorando:

NEC NON

Spectatiſsimo atq; multiplici rerum politicarum uſu præſtantiſsimo Viro,

Dn. ALBERTO FRANKEN,

civitatis WILSTRIENSIS civi primario, amico ac fautori ſuo ætatem obſervando:

Has ſtudiorum ſuorum primitias in debitæ obſervantiæ & obſequij argumentum

Offert & conſecrat

Johannes Hannemannus

Wilſtriâ-Holſatus.

DISPUTATIO VI.

DE AULA PRINCIPIS, UT ET DOMINATU AC TYRANNIDE.

THESIS I.

POſtquam de Monarchia in præcedenti diſceptatione egimus, non abs re nos facturos arbitramur, ſi de aula (quæ ad ſtatum Monarchicum ſolum pertinere cenſetur) antequam reliquas formas addamus, aliquid tractemus.

2. In ea autem duo conſiderari poſſunt: ejus conſtitutio & adminiſtratio ſeu diſciplina aulica.

3. In conſtitutione iterum ſpectandæ veniunt cum perſonæ, tum res.

4. Perſonæ ſunt vel dominantes vel officiariæ: ad illas referimus Principem ipſum, ejus conjugem, liberos, & neceſſarios.

5. Princeps inprimis accuratam ſui corporis rationem gerat ſuæq; ſalutis, Reip. quoq; ſalutem continentis, exquiſitam cuſtodiam & defenſionem ſuſcipiat, inſidijs, varijs modis, & vel in primis per venena ſtrui ſolitis, alendo certos & electos cocos, corptores & prægustatores obſtet: & contra vim externam certiſsimam ſecuritatem ſibi præſtet. *Keck. 1. Syſtem. 23.*

6. Securitas ea duobus inprimis modis adquiritur: 1. ſi Princeps ſubditos virtute & beneficijs & gravitate ſibi devinctos faciat. 2. ſi ſatellites fideles habeat.

7. Ad priorem modum facilius obtinendum neceſſe eſt, ut

Princeps multa, etiam invitus & cum dolore ſimulet & diſsimulet: quicquid etiam nimis religioſi contra diſputent: veriſsimum enim manet Ludovici XI. Galliarum Regis Symbolum, *Qui neſcit ſimulare, neſcit imperare*: quia effectus prudentiæ cum veritate conjunctæ eſt, nec omnem veritatem, nec omnibus, nec quovis tempore profiteri: uti ſacrarum literarum exempla abundè probant. *1. Sam. 10. 27. 11. 12. 2. Sam. 3. 29. Pſalm. 48. 14. vide Lipſ. lib. 3. pol. 1. Caſtellan. lib. 4. c. 20. & ſeqq.*

8. Non tamen eò deſcendimus ut cum fallacibus nonnullis & verſutis adulatoribus ſimulationem eam in eo ſitam credamus, quod quis artificioſè (ideo namq; ſplendido titulo ſe POLITICOS vocant) poſsit geſtu vel verbis mentiri: Ut enim omnibus, ita vel inprimis veritatis cultus & fidei datæ ſervatio bonum decent Principem. *Caſtel. lib. 3. part. 1. c. 23. Patric. lib. 8. de Rep. c. 20.*

9. An autem propter regni ſalutem Principi fidem fallere liceat? novè inter *Machiav.* quem novum ab Hetruvia Doctorem vocat *Lipſ. 2. pol. 14* & *reliquos politicos* diſceptatur; illi *lib. 2 diſcurſ. de Rep. & lib. de Princ. c. 8.* acriter adſerenti, adſenſum præbere planè non poſſumus. Certiſsimum enim eſt, debere Principes veritatem ac fidem conſtanter colere, nec reſpicere eventum, ſed virtutis præſcriptum; uti diſputat *Antimach. 3. theor. 18.* & ſanè ſi pro libitu fidem violare Princeps velit, quam quæſo de ſe opinionem, quem rumorem concitabit? quis ejus literis publicis & ſigillis credet? quis ejus legatos acceptabit? quis fædus aut pactum cum eo inibit? *Sed vide Lipſ. antè cit. loc. Toloſ. 8. de Rep. 8.*

10. Ad gravitatem valdè conducere arbitrarer receſſum ac ſejunctionem: ne Princeps nimis frequenter ac crebro ſit in publico, & cum ſubditis ſuis familiariter verſetur, quia juxta commune verbum, nimia familiaritas parit contemptum: undè rectè *Tacit. in Agricola.* Hominibus omne ignotum pro magnifico eſt. *vide Plut. in vit. Pericl.*

11. Satellites porro & cuſtodes ſui corporis, quin Princeps alere

alere debeat, prorſus nulli dubitamus: & laudandum potius quàm imitandum, ſapientiſsimi Principis Wirtenbergenſis Eberhardi elogium, quo; cum alter de vini copia, alter de vi maxima argenti gloriaretur, ipſe ſe beatum prædicabat, quod tutus in gremio cujusvis ſuorum ſubditorum dormire poſſet, *cum Keck. in curſ. Philoſ. diſp. 34. q. 5.* cenſemus.

12. Sed, an illos ex ipſa gente, cui præeſt, an vero ex peregrinis eligere debeat? ſubdubitari poteſt. Regulariter inquilinos adſciſcendos ducimus, quia ſubditi non facilè concoquent, ſibi exteros præferri, ſeq; tanquam perfidos (quia in ſatell[i]tibus potiſsimum fides ſpectatur) rejici. Inde enim livor, querel[æ] & averſio animorum. Quare *& Buchan. lib. 18. Hiſt. Scot.* & cum eo alij inter tyrannidis ſigna ponunt, ſi Princeps ſe peregrino ſatellitio muniat: Nos tamen univerſaliter verum non credimus, quia non rarò certæ quædam circumſtantiæ ſuadent Principi ut exterorum utatur ſatellitio, eorum præſertim, quos velut communis omnium gentium conſenſus, vel ob fortitudinem, vel ob decus ac ornamentum admittit, ita ut nullum ſit vel ab iſto externo ſatellitio periculum vel odium metuendum ſubditis. *Latè Keck. ante cit. loc. Lal. Zech. lib. 2. de Princ. c. 1.*

13. De conjuge Principis tradunt politici, *cum* ducenda, quod non facilè ſit aſſumenda ex familia vel obſcura vel ſubditis ſuſpecta, nec ei dos regno detrimentoſa conſtituenda: *tum* ducta, ut ejus ſumptuoſitas coërceatur, ad ſecretiora conſilia non facilè adhibeatur, nec ulla regeminis pars ei permittatur, præter Gynæceum, ex quo inhoneſtas & inſolentia abigenda. *vide Keck. l. Syſt. 23.*

14. In liberis benè educandis exacta cura requiritur, & vel in primis maſculis, quibus tales præfecti, morum magiſtri & præceptores præponendi, qui generosè educent ad virtutes paternas: ad quod conſultiſsimum putatur, ſi princeps proprio matris lacte liberos ali curet. *Plut. de educ. puer: fusè Caſ. in œcon.*

15. Per neceſſarios intelligimus Principis & fratres & ſorores.

Princeps multa, etiam invitus & cum dolore ſimulet & diſſimulet: quicquid etiam nimis religioſi contra diſputent: veriſſimum enim manet Ludovici XI. Galliarum Regis Symbolum, *Qui neſcit ſimulare, neſcit imperare*: quia effectus prudentiæ cum veritate conjunctæ eſt, nec omnem veritatem, nec omnibus, nec quovis tempore profiteri: uti ſacrarum literarum exempla abundè probant. *1. Sam. 10. 27. 11. 12. 2. Sam. 3. 29. Pſalm. 48. 14. vide Lipſ. lib. 3. pol. 1. Caſtellan. lib. 4. c. 20. & ſeqq.*

8. Non tamen eò deſcendimus ut cum fallacibus nonnullis & verſutis adulatoribus ſimulationem eam in eo ſitam credamus, quod quis artificioſè (ideo namq; ſplendido titulo ſe POLITICOS vocant) poſſit geſtu vel verbis mentiri: Ut enim omnibus, ita vel inprimis veritatis cultus & fidei datæ ſervatio bonum decent Principem. *Caſtel. lib. 3. part. 1. c. 23. Patric. lib. 8. de Rep. c. 20.*

9. An autem propter regni ſalutem Principi fidem fallere liceat? novè inter *Machiav.* quem novum ab Hetruvia Doctorem vocat *Lipſ. 2. pol. 14* & *reliquos politicos* diſceptatur; illi *lib. 2 diſcurſ. de Rep. & lib. de Princ. c. 8.* acriter adſerenti, adſenſum præbere planè non poſſumus. Certiſſimum enim eſt, debere Principes veritatem ac fidem conſtanter colere, nec reſpicere eventum, ſed virtutis præſcriptum; uti diſputat *Antimach. 3. theor. 18.* & ſanè ſi pro libitu fidem violare Princeps velit, quam quæſo de ſe opinionem, quem rumorem concitabit? quis ejus literis publicis & ſigillis credet? quis ejus legatos acceptabit? quis fœdus aut pactum cum eo inibit? *Sed vide Lipſ. antè cit. loc. Toloſ. 8. de Rep. 8.*

10. Ad gravitatem valdè conducere arbitrarer receſſum ac ſejunctionem: ne Princeps nimis frequenter ac crebro ſit in publico, & cum ſubditis ſuis familiariter verſetur, quia juxta commune verbum, nimia familiaritas parit contemptum: undè rectè *Tacit. in Agricola.* Hominibus omne ignotum pro magnifico eſt. *vide Plut. in vit. Pericl.*

11. Satellites porro & cuſtodes ſui corporis, quin Princeps alere

alere debeat, prorſus nulli dubitamus: & laudandum potius quam imitandum, ſapientiſsimi Principis Wittenbergenſis Eberhardi elogium, quo, cum alter de vini copia, alter de vi maxima argenti gloriaretur, ipſe ſe beatum prædicabat, quod tutus in gremio cujusvis ſuorum ſubditorum dormire poſſet, *cum Keck. in curſ. Philoſ. diſp. 34. q. 5.* cenſemus.

12. Sed, an illos ex ipſa gente, cui præeſt, an vero ex peregrinis eligere debeat? ſubdubitari poteſt. Regulariter inquilinos adſciſcendos ducimus, quia ſubditi non facilè concoquent, ſibi exteros præferri, ſeq; tanquam perfidos (quia in ſatell[illegible]ibus potiſsimum fides ſpectatur) rejici. Inde enim livor, quære[illegible] & averſio animorum. Quare *& Buchan. lib. 18. Hiſt. Scot.* & cum eo alij inter tyrannidis ſigna ponunt, ſi Princeps ſe peregrino ſatellitio muniat. Nos tamen univerſaliter verum non credimus, quia non rarò certæ quædam circumſtantiæ ſuadent Principi ut exterorum utatur ſatellitio, eorum præſertim, quos velut communis omnium gentium conſenſus, vel ob fortitudinem, vel ob decus ac ornamentum admittit, ita ut nullum ſit vel ab iſto externo ſatellitio periculum vel odium metuendum ſubditis. *Latè Keck. ante cit. loc. Lel. Zech. lib. 2. de Princ. c. 1.*

13. De conjuge Principis tradunt politici, *cum* ducenda, quod non facilè ſit aſſumenda ex familia vel obſcura vel ſubditis ſuſpecta, nec ei dos regno detrimentoſa conſtituenda: *tum* ducta, ut ejus ſumptuoſitas coërceatur, ad ſecretiora conſilia non facilè adhibeatur, nec ulla regeminis pars ei permittatur, præter Gynæceum, ex quo inhoneſtas & inſolentia abigenda. *vide Keck. l. Syſt. 23.*

14. In liberis benè educandis exacta cura requiritur, & vel in primis maſculis, quibus tales præfecti, morum magiſtri & præceptores præponendi, qui generosè educent ad virtutes paternas: ad quod conſultiſsimum putatur, ſi princeps proprio matris lacte liberos ali curet. *Plut. de educ. puer: fusè Caſ. in œcon.*

15. Per neceſſarios intelligimus Principis & fratres & ſorores.

res quos dignè ſuſtentandos *diſp. præc. th. 37.* diximus, ut & agnatos & cognatos: Quibus, an officia & præfecturæ committendæ? multi dubitant. Nos ſi ita comparati ſint, ut tutò ijs ſides haberi poſsit, recte juſteq; concredi putamus. *Keck. c. l.*

16. Sequuntur perſonæ officiariæ, de quibus in genere notandum, quod, ſi in aula ſeneſcere, tineasq; & ſorices palatij evitare velint, neceſſe ſit, ut probè ſint inſtructi bonis, *tum* animi, ut eſt doctrina, virtus: etſi enim quidam ſine literis emerſerunt, inq; præſtantes viros evaſerunt, non tamen dici poteſt, reliquos omnes horum veſtigia ſequi, nedum adſequi poſſe. Non ideo pontes, qui communis hominum uſus gratia ruri fiunt, reſcindendi ſunt, quod nonnulli reperiantur, qui foſſam aut rivulum ſaltu facilè ſuperent: *tum* corporis: quo pertinent Gymnaſtices ſpecies, quæ antiquis Romanis variæ fuerunt uſitatæ; Principibus noſtris hodiè potiſsimum probantur, elegans equitandi ratio, in pace jucunda, in bello utiliſsima, venatio, ut & exercitia pedeſtria, quæ fiunt gladijs, haſta, miſsilibus, jaculando, luctando, currendo, pilâ ludendo, *vide prolixè Hipp. à collib. in Palat. ſuo.*

17. Officium & artificium aulicorum ponimus in eo, ut ſe gerant rectè cùm erga Principem, tum erga pares, ad (quantum poteſt) invidiam vitandam. Ad primum quod attinet; neceſſe eſt, ut ſint reverà tales, quales Principi vel alijs videri volunt: nihil in eis ſit fucatum, nihil non apertum, non à mente lingua diſſentiat, ſed reclusum circa Principem præcipuè pectus gerant, ſint induſtrij diligentes, qui à re ſibi demandata, oculos nunquam dejiciant, ſint taciturni, nec quid quolibet die in Principis cubiculo factum ſit, ad exemplum Thraſonis Terentiani referre gaudeant, aut inter pocula referant: Nam difficile eſt è manu emiſſam avem recipere: ſed dictum ſemel ab ore profectum, quod multarum ſæpè cladium cauſam præbet, difficillimum, imò impoſsibile. Alterum quantum: commodum eſt, ut ea vitent, per quas in æqualium offenſionem facilè incurrere poſſunt: poſſunt autem facilè illi, quos ſui oblitos, æqualium ſæpè pudet, eosq; non noſſe ſimulant, ut & ij, quos ſi de tuis præcipuè rebus alloquaris, alijs intenti, quid dicas non attendunt, item ij,

quos

quos ſi per urbem comiteris, & ſplendidioribus veſtibus indutus quiſpiam fortè occurrat, confeſtim, etiamſi nullum ijs expediendum negotiū ſit, hominem accedunt, horasq; ſæpè integras perdunt, te, interea ut exſpectes, relicto: nec non qui publicis in locis pudore aliquem afficiunt; trudendo puta, de loco movendo, pileum abjiciendo: item qui aliorum commoda obſtinatè impediunt, licet nullam inde utilitatem ſentiant. Adde irriſores & ſcommata jacientes & ſimiles qui hinc inde apud ſcriptores ſatis carpuntur. Inprimis autem requiritur ut ſint patientes, animo forti & intrepido, &, adulatores, quorum plurimos aula gignit, omni ſtudio fugiant. Vide pleniorem inſtructionem apud *Hip. d.l. & elegantem tract. Guevar. cui titulus* der Hoffleut wecker/ *item librum minimè negligendum: cui tit. vulpecula,* der Reinicke Fuchs.

18. Cæterum aluntur aulici quidam neceſſariò, ut ſunt officiarij, cum ſuperiores, ut præfectus aulæ ſeu magnus aulæ Magiſter, mareſchailus, præfectus ſtabuli; præfectus cubiculi & Gynæcei, quæſtor, Burggravius, qui regit inferiores aulicos: præfectus commeatus aulici, vulgo præfectus culinæ: tum inferiores, ut miniſtri cubicularij & nobiles pueri, quibus Princeps ad ſervitia utitur neceſſaria; item ſecretarij & ſcribæ, quibus Princeps privatim utitur, carptor, pocillator, coquus, cellarius, & horum omnium miniſtri, janitores & ſimiles. Quidam ad ſplendorem, ut eſt nobilis comitatus, tam equeſtris quam pedeſtris, Muſici, ſpectaculorum exhibitores, ludiones &c. *Keck. t. Syſtem. 23.*

19. Illud hoc loco non prætereundum cenſemus, principem ad ingentia damna, tam privata ſeu aulica, quam publica, vitanda, deberi haud facile officiarios ſuos multiplicare, ſed operam dare, ut habeat paucos, idoneos & fideles, atq; adeò aulam alat, non prolixam & copioſam, ſed quam fieri poteſt contractiſsimam.

20. Hæc de perſonis. Res aulicæ ſunt, vel continentes, ut domicilia & palatia, quæ loca ſunt privilegiata, ſancta atq; inviolabilia, quare graviſsima in violantes pæna conſtituta eſſe ſolet, vel contentæ, ut ærarium aulicum, reditus, aſimonia aulica, quam non effuſam nimis eſſe præſtaret. *Keck. d. loc.*

21. Il-

21. Illud hodiè quibusdam in aulis quæri audies, ſatiusne ſit officiarijs certum penſum & pecuniam ſeptimanatim pro victu diſtribuere, quam victum in aula præbere? quæ quæſtio generalem deciſionem planè reſpuit, ſed pro circumſtantiarum ratione à prudentibus principibus & conſiliarijs eorum accuratam determinationem requirit.

22. Reſtat adminiſtratio, ſeu diſciplina aulica, quæ, quia juxta eam Reip. adminiſtratio regulatur, accurata eſſe debet & ſevera, quo aulici verſatiles & ad fraudem compoſiti componantur ad modeſtiam & gravitatem; πάρεργα, quæ cum magno numero ſe offerre ſolent, præcidantur, factionesq; & perditiones avertantur, quæ tamen frequentiſsimæ juxta graves illos ſenarios:

Paucos beavit aula, plures perdidit;
Sed hos & ipſos, quos beavit, perdidit. *vide Alth. c. 18.*

23. Cæterum inter Monarchiam, de quâ hactenus, & Tyrannidem, de qua ſtatim poſtea, quaſi intermedium conſtituunt Dominatum, in quo Dominus non primario ſubditorum, ſed conſequenter tantum, ſalutem curat ac promovet: exemplo Domini in familia, qui ſervos ſuos non peſſundat, cum non ignoret, ijs ſublatis, totius familiæ ruinam ſecuturam, nec tamen eos primariâ intentione curat, ſed tantum quatenus domus abſq; illorum cura haberi & habitari commodè nequit: ita dominus nec evertit ſubditos, quod eſt Tyrannorum, nec eorum ſalutem primam habet, quod eſt Regum, ſed dum ſuam incolumitatem abſq; illorum cura ſubſiſtere non poſſe videt, aliquam de ijs ſolicitudinem ſuſcipit. Talem Dominatum tradunt olim fuiſſe Imperium Perſarum, hodie in Aſia Tartarorum, Chinenſium, in Africa Abyſsinorum, quorum Dominus dicitur, Prætor, vel Pretioſus Johannes, vel Præsbyter M. vel M. Nego. item Regni Maroco & Feſſæ, ubi Dominus vocatur Seriffus. In Europa Turcarum & Muſchovitarum. *Bodin. 7. de Rep. 2. Arn. 1. pol. 9. p. 240.*

24. Oppoſitum Monarchiæ ſuccedit, nempe Tyrannis: ubi ſtatim notandus error vulgi Politicorum, qui degenerantem Monarchiam Tyrannidem conſtituit, quaſi Principatus non

æquè

æquè in Polyarchiam & Anarchiam tranſeat. *vide Dan. in Polit. Chriſt. in Aphor. profan. ſub tit. quot Reip. form. n. 4.*

24. Eſt vero Tyrannis vis publica, quando Monarcha contra ll. divinas, naturales & Regni fundamentales ad propriam tantum utilitatem & libidinem imperio abutitur. Indéq; Tyrannus dicitur.

25. Eum politici recentiores *ex Bart. tract. de Tyran.* diſtinguunt, quod ſit vel absq; titulo, vel exercitio. *Steph. Iun. Brut. in vindic. contra Tyr. q. 3. Autor lib. de jur. magiſtr. in ſubd. q. 3. Alth. c. 14. Keck. 1. pol. 28.*

26. Tyrannus absq; titulo eſt, qui Remp. ſine juſto vel electionis vel ſucceſsionis titulo, aut æquâ belli causâ, vi aperta & malis artibus, invadit abſq; populi conſenſu: ſi enim regnicolæ poſt ingeſtionem conſentiant titulum accipere autumant. Talis fuit Abimelech, *Iud. 9.* Athalia regina, *2. Reg. 11. 2. Chron. 22.* Tarquinius ſuperbus apud Romanos *Liv. lib. 1. &c. vide præter ante alleg. autores Thol. 6. de Rep. 15.*

27. Tyrannus exercitio ſeu adminiſtratione eſt, qui quidem legitimè factus eſt Princeps, ſed degeneravit, & contra fas & jus tyrannicè conſultò & malitiosè imperat.

28. Dicimus conſultò & malitiosè, quia non ſtatim quis cenſendus Tyrannus, ſi in aliqua gubernationis parte labatur, cum errare, hallucinari & in officio langueſcere etiam optimi Principes facilè poſsint. *Richt. axiom. Pol. 99.* Sed ſi datâ operâ & habito conſilio ſacra profanis miſceat, & hoſtiliter Eccleſiam eradicare & Remp. evertere ſtudeat. Talis fuit Saul, Achab, Amaſias, Herodes, item Tiberius, caligula, Nero poſt ſuum quinquennium, & plurimi alij. *vide ſæpè citat. ſuis locis.*

29. Hinc conſultiſsimum ducunt ſaniores Politici, ut Tyrannus in generali omnium ordinum conventu per Ephoros vel officiarios regni, principes, pares, patritios, optimates, vel his deficientibus, per vindices ac defenſores publicos ad hoc ipſum à populo conſtitutos, cognoſcatur & declaretur. *Alth. c. 14. Dan. 6. pol. 3.*

30. Sed quia Tyrannis, inſtar febris hecticæ, quæ initio difficilis cognitu, facilis curatu dicitur, cognoſci difficillimè poteſt, ejus naturam, mores & ſigna prolixè explicant *multoties alleg. Dd. quibus adde Caſm. in vit. pol. c. 62. Antimach. in præf. lib. 3. Caſ. 5. ſphær. 15. Keck. 1. pol. 28.* qui duplices notas enumerat, *generales, quod* leges regni fundamentales violet; *quod* ſit hoſtis ſuorum ſubditorum: *quod* abutatur juribus majeſtatis: *quod* neq; pietatis, neq; juſtitiæ ullam rationem habeat; & deniq; *quod* totis viribus ad ſtatum Reip. evertendum, & opprimendos ſubditos enitatur. *Speciales*: *quod* res regni in privatum uſum conferat, aut in perniciem publicam, *quod* bona regni diſsipet, minuat, alienet; *quod* opes non tantum publicas, ſed & ſubditorum, exhauriat; eosq; vel vi aperta vel artibus expilando ad paupertatem, ne ſeſe opponere valeant, redigat, *quod* bella nutriat ut ſubditorum vires enerventur, *quod* primores regni vel vi vel dolo opprimat, *quod* factiones inter ſubditos alat, *quod* prohibeat conventus & congregationes honeſtas, *quod* tollat ſcholas, Gymnaſia, *quod* ſubmittat auſcultatores & delatores per calumniam ſubditos deferentes, *quod* ad populi mores corrumpendos ganeas, popinas, lupanaria, ludosq; inhoneſtos inſtituat ac foveat.

31. An Princeps ex plenitudine poteſtatis res privatorum auferre poſsit eleganter hoc loco quæritur? Et quamvis *Angel. Iaſ. Dec. & alij* adeò affirment, ut vel de eo dubitare ſacrilegij inſtar habeant: Nos tamen contrarium ſtatuere compellimur *per l. quoties l. 3. l. 7. C. de prec. Imp. offer. l. ult. C. ſi contr. jus vel util. pull. l. jubemus nullam C. de ſacroſ. Eccl. l. 3. & 4. ff. de nat. reſt. & ſimilibus.* Si tamen publica neceſsitas & utilitas flagitet, quod tum poſsit, communi Dd. calculo receptum tradit *Geil. 2. obſ. 56. per l. 5. §. f. ff. de injur. l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil.* Et publica utilitas ſemper præferenda eſt privatæ *l. un. §. ult. C. de cad. toll. Fach. 8. c. 63.*

32. Verumenimvero, utrum Tyranni tolerandi & ferendi, an è medio tollendi & auferendi? quæſtionem omnium ut deciſione difficilimam, ita quoq; ingenuâ mentis explicatione periculoſiſsimam docet. *Keck. ante cit. loc.* Nos in hac difficultate diſtin-

diſtinguentibus inter ſubditos & Tyrannum ſubſcribimus, certoq; credimus ordines regni conjunctos Tyranno obſtinato (quia non priùs armis quam verbis quippiam in hac re tentandum eſt. *Tholoſ. 26. de Rep. c. fin. Obrecht. de bello diſp. 1. a theſ. 155.*) ſive ſine titulo ſit, de quo res nullam habet dubitationem, ſive exercitio, audacter reſiſtere, eundemq; occidere poſſe: quia per eam tyrannidem diſſoluta eſt illa conventio inter Principem & univerſum populum contracta, ut non amplius obſtet ſubditorum defenſioni ac reſiſtentiæ. *Thol. 26. de Rep. 7. Bod. 2. de Rep. 5. Lipſ. 6. pol. 5.* Privatos quantum, arbitramur eos tantum Tyrannum abſq; titulo interimere valere, quia ad ejus imperiũ nullo prorſus jure obligati ſunt, isq; hoſtis eſt, quià quovis interfici poteſt: *VVarem. ab Erenb. in veriſmi. c. 10. n. 36. Obr. de bello diſp. 1 a Theſ. 146.* contra vero Tyrannum exercitio tale quid moliri non poſſe, quia in conventione quod Princeps ille univerſo populo promiſit, ad privatos & ſingulos non pertinet: *l. ſicut 7. §. 1. quod cujusq; univ. nom.* Neq; vero etiam privati ullum imperium aut poteſtatem gladij habent: *Mat. 26. 52. Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 17.* Quare patienter potius ejus jugum interea ferant & auxilium liberationemq; divinam petant, vel ſi contra conſcientiam, aut pietatem quid facere compellantur, Tyranni obedientiam fugiendo magis, quam reſiſtendo declinent. *Mat. 10. 23. 2. Chron. 11. 13. Tholoſ. 26. de Rep. 6.*

33. In caſu tamen ſi fermè omnes optimates officium non faciant, aut cum Tyranno conſpirent, poſſunt ſubditi unius optimatis ductum ſequi: Quod ſi planè nullus ſit procerum, qui patriæ ſalutem curet, ſubditi poſſunt vindices & repreſſores tyranni eligere. *vide Dd. alleg. latè & exquiſitè omnia tractantes.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

Ex tit. 6. & 7. lib. 2. Inſtit. Imp.

I. Uſucapionem rationi & æquitati naturali convenientem, nec juri divino inimicam eſſe nullo prorſus modo dubitamus.

2. *Per eam & directum & utile dominium adquiri dicimus.*

3. *Scientiam rei alienæ poſt completam demum uſucapionem ſupervenientem, reſtitutionem in foro conſcientiæ cauſari, credere non poſſumus.*

4. *Pacto de retrovendendo, ut & juri luendi pignoris, ne longiſsimi quidem temporis præſcriptionem opponi rectè poſſe putamus.*

5. *Partum ancillæ furtivæ non, niſi bonæ fidei poſſeſſor & tempore conceptionis & editionis matrem furtivam eſſe ignoret, uſucapi poſſe ſtatuimus.*

6. *Res pupillares præſcribi poſſe pernegamus.*

7. *Tempora inter heredem & defunctum, inter emptorem & venditorem rectiſsimè conjungi affirmamus.*

8. *Dubitantem non præſcribere aut uſucapere poſſe arbitramur.*

9. *Suos pro herede uſucapere poſſe cenſemus.*

10. *Donationem etiam absq; traditione perfectam eſſe credimus.*

11. *Donationem omnium bonorum præſentium & futurorum validam adſeveramus.*

12. *Rem donatam ſub pacto; ne alienetur, nihilominus alienari, ejusq; dominium in alium transferri poſſe defendimus.*

13. *Donationem pio ſacrove loco factam etiam inſinuatione indigere ponimus.*

14. *Donationem excedentem 500. ſolidos, nec inſinuatam, non planè & in ſolidum ſed tantum in ſuperfluo vitiari adſtruimus.*

15. *Rerum dotalium dominium tam penes maritum, quam uxorem eſſe perſuaſum habemus.*

16. *Rem ex pecunia dotali emptam; dotalem fieri concludimus.*

Digitized by Google

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO SEPTIMA

DE

STATU PO-LYARCHICO AC FOR-MIS MIXTIS; UBI ET DE

Civitatibus & ſtatibus Imperij.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit. 10. 11. 12. 13. 14. lib. 2. Inſtit. Imper.

Quam

DANTE CHRISTO EMANUELE

IN ILLUSTRI HOC ROSARUM ATHENÆO

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

DANIEL ROSSOVIUS

Pom.

Ad diem 6. Julij.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Ampliſſ. Clariſſimo, Conſultiſſimo, longâq; rerum civilium experientiâ excellentiſſimo Viro,

Dn. EOBALDO BRUMMERO, J.U.D. & Reip. Stargardenſis Syndico graviſsimo.

UT ET

Spectatiſſimo, Conſultiſſimo prudentiſſimoq; Viro,

Dn. HENRICO HUNICHIO, ejusdem Reip. Camerario digniſsimo.

Dominis promotoribus & fautoribus meis omni officiorum cultu proſequendis

lito & offero

Daniel Roſſovius
Pom.

DISPUTATIO VII.

DE STATU POLYARCHICO, AC FORMIS MIXTIS; Ubi & de civitatibus & ſtatibus Imperij.

THESIS I.

DE ſtatu Monarchico hactenus: Ipſa materiarum ſeries jam nos trahit ad Polyarchicum, qui eſt imperium plurium, penes quos ſumma rerum eſt.

2. Plures tamen illi non conſiderantur ut plures & diverſi, ſed ad unitatem reducuntur, & unum fiunt, mente ſeu voluntate, & conſenſu in conſilijs, eorumq; executione & adminiſtratione univerſali. Unde per ſe patet, quam frivolè pro more ſuo ſtatum hunc abſolutè infeſtet *Mach. in diſcurſ. polit.* ex eo, quod non poſsit eſſe imperium penes plures pari poteſtate pollentes, quia non poſsint eſſe concordes: ubi autem nulla concordia conſultantium eſt, ibi nulla eſt vel conſiliorum concluſio vel executio: *Keck. 2. Syſtem. 3.*

3. Natura Polyarchiæ requirit, ut in ea majeſtas, quæ in ſui eſſentia unica eſt & indiviſibilis *Thol. 1. de Rep. 1. n. 9.* univerſis quidem, ſed non ſingulis competat, & exercitium ac uſus communis jurisdictionis non ſit penes quemlibet in ſolidum, nec à quolibet in ſolidum exerceri poſsit: *Bodin. 2. de Rep. 6.* Et ratio eſt perſpicua: Nam quod omnibus magiſtratibus in Polyarchia commune eſt, id ſolus absq; inſigni injuria & contumelia reliquorum nequaquam uſurpare poteſt, niſi perfractis Polyarchiæ limitibus & terminis Monarchiam invehat.

4. Quare conſultum & utile judicant, ut communi & concordi ſuffragio uſus jurisdictionis communis per aliquem miniſtrum communiter & individuè exerceatur, tum nempe quando

do uſus iſtius jurisdictionis commode dividi non poſsit: Si enim poſsit, ea erit æqua diviſio, quæ fiet juxta portionem & partem, quam quisq; majorem vel minorem in territorio eodem habet. Vel etiam poterit alternis menſibus aut annis, pro ut majorem vel minorem jurisdictionem habet quisq;, jurisdictio concedi in ſolidum. Quin & plures conjunctim, ſi nempe ſinguli, vel etiam major pars conſentiat, poſſunt ex communi approbatione uti jurisdictione communi. *ut ex Covar. P. q. ult. & Boer. deciſ. 5. ſcribunt Althuſ. c. 32, Keck. d. l.*

5. Verum cavendum ne tali diviſione jurisdictionis Polyarchicus ſtatus degeneret in regna, ac diverſas imperij formas migret. Jus enim poteſtatis in aliquo territorio ſi alicui plenè conceſſum fuerit, quid obſtabit, quo minus ſe Regem, Ducem aut Principem gerat? Quandoquidem qui poteſtate armatus eſt, regiâ autoritate firmatus eſſe videatur. *vide Thol. 35. de Rep. 2.*

6. In hoc ſtatu cautelæ certæ exquiſitè obſervandæ ſunt; cum pacis, tum belli tempore.

7. Tempore pacis: ut Imperantium conſilia (quæ non ponderanda, ut in Monarchia, quæ vel inde perfectior & melior, ſed numeranda, pluriumq; ſuffragia, licet à vero & utili magis aliena præferenda paucorum) minimè retractentur, ſed ſtrictè executioni dentur, quia, *teſte Thol. 24. de Rep. c fin.* hoc in ſtatu neceſsitas parendi magiſtratui impoſita eſt, quam ſine ejus mutatione transgredi nequeunt. Ut Demagogi & oratores plebei ſummo ſtudio compeſcantur, ne contra optimates vel potentiores arment multitudinem imperitam & mobilem, quæ, inprimis in dubio, ſemper talis eſt, quales habet duces & conſiliarios. *Ariſt. 5. pol. 5. Arniſ. 2. pol. 4. à pag. 492.* Peſsimo huic in Republ. hominum generi comparantur & æquiparantur noſtro tempore importuni & turbulenti concionatores. *Clapm. 3. de arcan. Rerump 22. Thol. 7. de Rep. 18.*

8. Tempore belli, ut Dux aliquis, qui Græcis Æſymneta, Romanis Dictator dicebatur, creetur, penes quem ſolum ſumma belli ſit, quia turbata Reip. tempora non poſſunt ferre moram in conſilijs, quæ mora conjuncta eſt Polyarchicæ, ut notat

Sleid.

Sleid. lib. 18. ſub anno 1546. dum ſcribit, quod nihil magis obfuerit Germaniæ Principibus contra Car. V. belligerantibus, quam quod non ex unius alicujus arbitrio tota res fuerit adminiſtrata, ſed belli conſilia inter Joh. Frid. Elect. & Philip. Haſsiæ Landgr. fuerint diviſa. Hanc cautelam hodiè confœderatæ provinciæ Belgicæ obſervant, dum fortiſsimum & fortunatiſsimum Heroëm Mauritium Naſſovicum terrâ mariq; belli arbitrum conſtitutum habent.

9. An propugnacula, arces & loca munita huic ſtatui conducant? diſquiritur. *Tholoſ. lib. 2. c. 2.* ea periculoſa putat, quia, quo plures imperant, eò etiam gravius eſt periculum diſcordiarum; quare facilè occupari poſsint, & ad evertendam Remp. teneri ab ijs, qui dominatum præ cæteris quærunt: Nos quo minus planè conſentiamus monet Belgium, firmiſsimè multis in locis munitum. Quare hanc cautelam addimus, optimum eſſe, ne optimates in loco aliquo munito ædificent aut habitent: quemadmodum olim Romæ, poſtquam Valerius in ſummâ Veliâ ædificaſſet, atq; ideo in affectati regni ſuſpicionem veniſſet, decretum fuit. *Liv. lib. 2.* Propugnacula igitur per officiarios alios gubernari poterunt, quæ ad tempus tantum haberi pro cujuſq; Reip. commodo ipſe *Thol. 4. de Rep. 5.* fatetur. *adde Dan. 6. pol. 5.*

10. Polyarchiæ ſpecies ſunt Ariſtocratia & Democratia.

11. Ariſtocratia eſt ſtatus Polyarchicus, quando paucioribus conjunctim & in dividuè in omnes & ſingulos imperium datum eſt. Talis erat olim apud Hebræos tempore judicum: Spartanos, Pharſalios Maſsilienſes: Hodiè Genuenſes, Lucenſes, Rhaguſios, Noribergenſes &c.

12. Pauciores illi dicuntur Optimates, fortè inde, quia optimi viri virtute & meritis maximè inſignes Reipubl. præeſſe debent: vocantur etiam patritij, ſeniores, nonnunquam ſtatus, aliquando ordines, rariùs Principes. *Alex. ab Alex. 6. Geneal. dier. 24.* Numerus eorum certò determinari nequit: Ad minimum tamen neceſſe eſt dimidio univerſis ſint pauciores: *Bod. 2. de Rep. 6. n. 219.* Quamvis quo pauciores ſint, eò hic ſtatus ſtabilior & diuturnior ob concordiam, quæ inter eos facilior, quam inter plures

 exiſti-

exiſtimatur, ſit futurus: *Ariſt. 5. pol. 6.* Ex paucissimis eſt Duumviratus & Triumviratus.

13. Formam hanc *Ariſt. 5. pol.* omnium optimam judicavit, ex eo quod accommodatiſsima ſit ad conditionem & imbecillitatem humani generis, ſeu naturæ humanæ, quæ ſic eſt comparata, ut unus vix poſsit ſuſtinere onus regiminis, vix ipſe idonea conſilia invenire, utpote qui facilè poſsit degenerare & delabi in omne licentiæ ac ſcelerum genus: contra verò plures plura videant, & plurium optimorum virorum optima ſint conſilia, quin & unus alterum retinere poſsit in officio: atq; ita æquilibrium in Rep. conſervari. Quæ tamen ſententia extra imbecillitatem humanæ naturæ conſiderata, quo ad naturam cujusq; ſtatus abſolutam & ſimplicem, ſubſiſtere nequit: quoniam ſic primas jam antè Monarchiæ conceſsimus *ſup. diſp. 5. th. 28.* Quia verò hæc magis accedit ad Monarchiam, & pauci ſunt viciniores uni, quam omnes; ideo Democratiæ præferimus. *Keck. 2. Syſtem. 2. adde d. theſ. 28. alleg. Dd.*

14. Ariſtocratia varias patitur diviſiones; reſpectu optimates eligentium, & electorum.

15. Ratione eligentium alia eſt, in qua optimates electi alios eligunt, primus ſecundum, ſecundus tertium & ſic deinceps: alia cum populus jus electionis habet: Inter has prior eſt perfectior, quia optimus optimum ſibi collegam electurum præſumitur, quod in electione populi non evenit, qui de bonis prudentibus & idoneis judicare minimè poteſt, ſed temerè ex affectu vel peſſimum etiam adſumit: *Thol. 4. de Rep. 5. Bod. 2. de Rep. 6.*

16. Reſpectu electorum dividitur, vel reſpectu numeri, quod alia paucissimorum, alia paucorum: *ſupr. th. 11.* vel reſpectu conditionis, ubi alia, in qua virtutis intuitu præſtantiſsimi, alia ubi cenſus æſtimatione divites, alia generis & proſapiæ prælatione patritij & nobiles eliguntur: prior eſt nobiliſsima: *Tholoſ. & Bodin. dd. ll.* vel reſpectu temporis imperandi, ubi alia, in qua optimates ſunt perpetui, alia, in qua temporarij. Utra ex his melior & diuturnior? quærunt politici. *Dan. 6. pol. 3.* prò ea, in qua temporarij: *Bod. d. loc. Alth. c. 32. Kirchn. in ſua Rep. diſp. 5. th. 3. lun. 1. q. 26.*

pro

pro ea in qua perpetui proceres ſunt, diſputant: Nos hiſce calculum ſubjicimus, multis rationum ponderibus permoti.

17. Cæterum in hoc ſtatu maximam curam adhibebunt optimates, ne conſilia ſua ad vulgus emanent, ſed ſecreta maneant, ne injuriâ plebem afficiant, ne diſcordiæ & inæqualitati inter ſeſe locus detur. *Tholoſ. 10. de Rep. 6. Bod. 6. de Rep. 4. Arniſ. 2. pol. 2. & 4.* ſummâ quoq; diligentiâ præcaveant, ut plebis conventus inhibeantur; inprimis nocturni, patritij dignitatem ſuam illæſam conſervent, nec matrimonia cum plebeis ineant, quia colluviem gentium, perturbationemq; familiarum adferunt, atq; adeò id faciunt, ut nec ſe quiſquam, nec ſuos noſcat. *Dion. Halicarn. lib. 10. Liv. lib. 4.*

18. Illud ſilentio prætereundum non eſt, jus convocandi collegas ad conſultandum de Rep. atq; adeo poteſtatem proponendi, colligendi ſuffragia, in unum transferri debere, vel perpetuo, vel, quod conſultius, ad tempus, aut anniverſarium, aut menſtruum, quod hic RoſtochI obſervari in conſule regente (wortshaltenden Bürgemeiſter) videmus.

19. Ariſtocratiæ opponitur Oligarchia, quæ eſt Reip. corruptio, cum pauci divites & potentes, per injuriam & violentiam Remp. ad ſe transferunt, & ad reliquam multitudinem opprimendam conſpirant. Talis ſtatus ferè fuit Romæ, ſub Pompejo, Cæſare & Craſſo, *Hæn. diſp. 10. th. 32.*

20. Dicimus divites & potentes, quia licet plerunq; ex optimatum numero oligarchi turbulenti exiſtant, reliquosq; collegas à gubernatione removeant & extrudant, ſemper tamen affirmare non ſatis tutum putatur.

21. Oligarchiam vulgus Politicorum, ut & *Caſus lib. 4. Sphær. c. 5.* dividunt in ſimplicem; & mixtam: illam dicunt eſſe, in qua paucorum affectus, non ratio ſeu lex vel æquitas, impetus, non intellectus regnat. Hanc in quo opulenti homines & ll. imperant: ſed falſo: quia hujuſmodi ſtatus ubi divites & ll. imperant Ariſtocraticus, ac proinde bonus & legitimus eſt. *Hæn. d. d. th. 36.*

22. Oligarchis illis optimates jure reſiſtere poſſunt, non ſecus atq; in Monarchia ordines Tyranno. Quibus tamen non

ſatis

ſatis validis totus populus ſe adjungat. *Tholoſ. 4. de Rep. 1. Keck. 2. Syſtem. 2.*

23. Tantum de Ariſtocratia: Democratia (quæ communi nomine; Reſp. in ſpecie vel ſtatus popularis dicitur) eſt ſtatus Polyarchicus, quando univerſus populus imperium vel magiſtratum obtinet. Qualis fuit olim apud Athenienſes & Carthaginenſes: Hodiè eſſe creditur apud Argentinenſes, Rhætos & Helvetios, maximè montanos, videlicet Suitios, Uranios, Undervaldios, Glaronenſes, & Abbatiſcellanos.

24. De forma hac, an inter veros ſtatus numeranda? ob imperfectionem, variasq; mutationes multi ſunt qui dubitant: Nec immerito, ſi naturam regiminis abſolutam ſpectes, quia ab unitate ad multitudinem quam maximè vergit: ſi vero conſideres & perpendas id, quod propter certas circumſtantias locorum, temporum & perſonarum eligibile, etiam ſuus certe huic ſtatui locus erit: Nec abſurdum eſt omnes imperare: imperant enim potentiâ non actu & exercitio, quod expeditur per certos deputatos, qui ex ſinguiis claſsibus, in quas populus diſtinctus eliguntur ut ejus vicem & locum ſuſtineant: Hinc Tribus, Decuriæ, Quinquagenæ, Centuriæ, Chiliades: unde præfecti tribuum, decuriones, quinquagenarij, centuriones, chiliarchæ, qui in hoc ſtatu optimatum & Ephororum locum, ipſe vero populus Monarchæ vices obtinet, ideoq; timeri Vult. *Ariſt. 3. pol. 5. & 4. c. 4. Bod. 2. c. 7. & 6. c. 4. Keck. 2. Syſt. 3.*

25. Dividitur Democratia potiſsimum dupliciter: in adſtrictam, in qua ex omni ordine civium magiſtratus eliguntur, ſed tamen ratione perſonarum habitâ, ut magis idonei præferantur: quæ omnium optima eſt, & à Belgicis ſtatibus obſervatur: & liberam, in qua omnes promiſcuè & indiſtinctè, ſucceſſivè tamen ad magiſtratum adſpirant, & hæc varijs & ſubitis mutationibus obnoxia eſt, majèq; apud omnes ferè politicos audit. *Thol. 5. de Rep. 8. Bod. 6. de Rep. 4.*

26. Natura ſtatus Democritici in eo potiſsimum poſita eſt, ut omnes omnibus æquentur, nec aliter parere velint, quam ut vicisſim imperent ijs quibus paruerunt: quare populare eſſe

cenſent,

cenſent, ut magiſtratus ab aliquo tantum ſemel geratur, & tempore quidem non longo: perpetui enim magiſtratus Democratiæ repugnant, tempore tamen pacato, turbato enim dictatore opus erit: *ut ſupra theſ. 8.* diximus. *vide Thol. 5. de Rep. 5. Dan. 6. pol. 5. Iun. 1. q. 25.*

27. Modum vero eligendi magiſtratum duplicem quoq; politici præſcribunt: unum per ſortem: alterum per ſuffragia: per illum, tanquam popularem, libertas conſervatur, dum ex omni civiũ numero pauciſsimi aliquot depinguntur: per hunc eliguntur meliores, dum ex illis paucis, quos ſors cecidit, per ſuffragia eliguntur & conſtituuntur certi. *vide Thol. 5. de Rep. 2. Caſpar. Contar. lib. de Rep. Venet. pag. 16. & ſeqq. Keck. 2. Syſtem. 3.*

28. Pro conſervatione ſtatus popularis monent Politici, ut leges conſtituantur tales, quæ magiſtratui æqualitatem ſemper occinant, nec nimiam licentiam concedant: *Kirchner. in Rep. d. 5. th. 4.* ſubditos divites ad publica miniſteria promptos reddant: pauperes à divitum odio, inſidijs & invaſione abſterreant: *Thol. 10. de Rep. 5.* Ut leges ſeveriſsimè executioni mandentur: *Bodin. 6. de Rep. 5.* ubi Helveticam laudat diſciplinam: ut bona damnatorum ſacra ſint, nec pœna publicationis & confiſcationis obtineat: ut quam rariſsimæ ſint publicæ accuſationes, magnâ pœnâ conſtitutâ adverſus eos, qui falſò accuſarint, ne ſcil. multi publicis accuſationibus condemnentur, ſicq; popularium decreſcat autoritas & numerus, facilèq; prævaleant Ariſtocratici. *Thol. 5. de Rep. 2.* Ut comitia habeantur creberrima, quibus omnis generis injurijs obviam eatur. *Thol. d. loc. adde Keck. c. 1.*

29. Porro ad æqualitatem hujus formæ melius ſervandam, introductus olim erat apud Athenienſes Oſtraciſmus, apud Syracuſanos Petaliſmus, quo cives vel potentiâ, vel favore, vel honore alijs ſuperiores, civitate exire jubebantur. Oſtraciſmum cum multi accuſant & iniquitatis arguunt. *vide Bod. 2. de Rep. 4.* quam tamen tantam non fuiſſe *Ariſt. 3. pol. 13.* oſtendit: cum niſi ita factum perſæpè fuiſſet, Reſpubl. tota ſæpè perijſſet: Nec vero exilium, per Oſtraciſmum imperatum, ignominiam relegatis intulit, ſed potius non obſcurum fuit virtutis teſtimonium, ut

oſtendit *Plutarch. in Themiſt.* Nec tamen *Ariſt.* per omnia placet quia periculum eſt, ne ejectus plus turbarum cieat, inprimis ſi exilium fuerit cum ſpecie quadam ignominiæ conjunctum, aut is non fuerit examuſsim vir bonus: *vide ex Ariſt. Caſ. 3. Sphær. 9. Arniſ. 2. pol. 5. p. 541. Dan. 3. pol. 1.*

30. Democratiæ opponitur Ochlocratia, quæ eſt effuſa populi, vel potius furentis ac turbulentæ plebis, impotentia, in quâ egenorum major, quam publicæ utilitatis ratio habetur, nihilq; magis intenditur, quam ut omnia furibundè pervertantur. Talis fuit Athenis, poſtquam à Pericle Democratia illa eſſet everſa, & Romæ poſt ſeditionem Grachianam, ut & ſuperiori ætate in Germania noſtra in tumultu ruſticorum anno 1525. *vide Bod. 4. de Rep. 1. Dan. 1. pol. c. ult.*

31. Omnibus Rerump. ſpeciebus opponitur Anarchia, quâ nihil unquam perniciosius extitit, quæ omni Tyrannide, omniq; corrupto civitatis ſtatu deterior eſt, quia non reperitur, qui quoquo modo imperet, nec qui qualiter qualiter tantum pateat, ſed quilibet pro ſuo arbitrio agit. *Bod. 6. de Rep. 4. Dan. d. l. Keck. 1. Syſt. 28.*

32. Verumenimvero cùm ſtatus Polyarchicus rudi, quod dicitur, Minervâ hucuſq; à nobis traditus; ut plurimum in civitatibus luxuriet & conſpicuus ſit, operæ & temporis pretium perdituros nos non ſperamus, ſi antequam de mixtura quid dicamus, civitatum imperij faciem paucis obumbremus: Quæ tamen non omnium eſt eadem, ſed primò quædam ſunt municipales, quædam liberæ.

33. Municipales ſunt, in quas Principes ſeu Domini territoriales beneficio Imp. retento jure ſuperiori, omnimodam (uti olim Præſides; *t. t. de defenſ. civit. Nov. 15. c. 6.*) jurisdictionem habent, eamq; per præfectos urbi, vulgò Stadtvögte, regulariter expediunt. Dicuntur etiam urbes provinciales, Land- oder Fürſten Städte. *Tob. Paurm. de jurisd. lib. 2. c. ſ. n. 14.*

34. Liberæ nobis dicuntur, quæ non à Cæſaris vel Imperij, ſed Principum, Ducumve jurisdictione & poteſtate exemptæ ſunt, & Imperio immediatè ſubſunt, ac partim ſemper illam libertatem

bertatem retinuerunt, unde & civitates imperiales, Freye Käyſerliche ReichStädte/dicuntur: partim, cum ſub inferioris Principis Comitis, aut alterius jugo eſſent, exemptionem obtinuerunt, libertatemq; recuperarunt: quare non ut priores Imperiales, ſed propriè liberæ tantum civitates dicuntur Frey Städte/vel ſimpliciter, ReichStädte. *præjudic. Cameræ in verb. civitas imperialis §. Freye ReichStädte*: ubi additur Imperiales civitates vel totam Aquilam vel partem ejus, reliquas nihil in inſignibus ſuis habere. In conſtitutionibus tamen, catalogo & matricula Imperij, utræq; per copulam ET conjunguntur, ac Freye vnd ReichsStädte indiſtinctè appellantur, & generaliter nobilia Imperij membra ab ipſis Impp. vocitantur. Gründlicher bericht von allen vnd jeden der Freyen vnd Keyſerlichen ReichStädten/ Stand/ Regalien/Privilegien/Rechten vnd Gerechtigkeiten *part. 1. articul. 15. n. 14.* eâdemq; libertate fruuntur & ſtatibus annumerantur. *A. B. tit. 1. ibi civibus & communitatibus caſtrorum, civitatum & locorum. Reformatio Frid. 3. Francof. anno 1442. edita in pr. ibi*, gemeinten aller vnd jeglicher Städte. *Ioac. b. Clut. in Syll. theſ. 27. lit. b.*

35. De hiſce imperialibus civitatibus maximum inter Dd. eſt dubium; an ijs jura territorialia, ſeu jura ſuperioritatis & regalia competant? Nos affirmantibus Sacramenta damus, cū diſtinctione inter jura territorialia Land Ober- vnd Herlig-keit/ & jura perſonalia Principum, Lands Fürſtliche Obrigkeit: illa omnino ab Imp. & imperio Romano immediatè habent, quia inter ſtatus Imperij ſunt receptæ: *Gail. 2. Obſ. 57. n. 7. & de Arreſt. Imp. c. 9. n. 1. Vult. 1. F. 5. n. 7. verſ. alijs etiam.* cum ſtatus Imperij nomen non magis inutile eſſe debeat, quam Principis: *Bald. de Schiſmate in pr. n. 10.* nullaq; ratio dari poteſt, cur civitates juribus ſuperioritatis carere dicendæ ſint. *vide lib. de pace conſtant. §. Nos Romanorum verſ. volumus.* Hæc vero minimè tenent, quia competunt, cum ratione perſonæ Principis, tum ratione territorij conjunctim; jam autem in ejuſmodi civitatibus, non eſt dux vel Princeps &c. E. nec jura Principis perſonalia. *vide Peregr. de jurib. fiſc. lib. 1. c. 2. n. 41. & ſeqq. cum ibi allegg.*

36. De ijsdem quoq; quæſtionem movet ſeq. *Peuc. in complem.*

Chron. Melancht. an ſeſsionem & votum in comitijs imperialibus habeant? ille *lib. 5.* negat, & eas tantum conſulendi, non ſuffragandi jus habere adſerit, ſed malè, & ſatis refutatur non ſolum experientiâ, ſed expreſſo *A. B.* textu, quo non minus ex civitatum quam Principum conſilio res in comitijs directas fuiſſe dicitur, *in fin., pr. ibi, nobilium & civitatum multitudine numeroſa. Reform. Frid. 3. Franc. anno 1442. in pr. ibi,* gemeinden aller vnd jeglicher Städte. Quin & omnes receſſus, vel diſertam mentionem civitatum faciunt, vel generali *ſtatuum reliquorum* appellatione eas intelligunt. *vide Paurm. d. loc. Schonb. lib. 5. pol. c. f.n.*

37. Inter utrasq; tamen prædictas civitates, quædam intermediæ eſſe videntur, quæ ratione privilegiorum, immunitatum, libertatum &c. ab imperiali culmine promeritatum, Imperio immediatè ſubjectæ ſunt, in alijs quibusdam juribus agnoſcunt principes ſuos territoriales, ut Hamburgum, Brunſviga, &c. *Bodin.* tamen: *1. de Rep. 9.* & cum eo *autores conſilij 5. in cauſa Brunſvicenſi n. 132.* Brunſvigam cum civitatibus Imperialibus confundunt, ſed malè, quia non obſervarunt, quod ut Impp. Principibus, ſic Principes civitatibus infinita tribuerint, quæ melius retinuiſſent: de quo dudum conquæſtus *Iul. Pflug. in orat. de Imperio Rom. Clud. d. l.*

38. Dicuntur inſuper *quædam* civitates pactitiæ, quæ certâ lege & conventione ſuperiorem aliquem imperij Principem agnoſcunt: extra vero pacta conventa placidè ſuâ libertate fruuntur: *l. 2. de jur. immun. l. non dubito 7. §. liber populus de capt. & poſtli. rever. Geil. 2. obſerv. 54. n. 10. Mynſ. Reſp. 13. n. 10. Dec. 2. Rudger. Rul. in tr. de commiſſ. p. 2. l. 5. c. 4. n. 47.* Et illæ quatenus liberæ ſunt, & regalia habent privatorum loco non ſunt habendæ. *Quædam* exemptitiæ, vel ratione exemptionis originariæ, qua conceſsis ab Imp. territorijs & dignitatibus, quoad Principes poſt modū inveſtitos, nonnullæ civitates gaudent: *Meiſchner. tom. 3. deciſ. 6. n. 61.* vel accidentariæ, quæ contractibus, pactis &c. oritur. Unde differentia harum & illarum perſpicua: Exemptitiæ libertatem quam ante non habebant adquirunt: pactitiæ libertatem, quam ante uberiorem habebant, minuunt. *Quædam* privilegiatæ, quæ tamen ſubjectio-

ſubjectionis notam non effugere poſſunt, ut exemptitiæ, quæin caſibus exemptis pro liberis habentur: *Meiſſhn. tom. 2. deſ. 9. n.19.*

39. An pactitiæ eſſe poſſint? dubitari poteſt: *And. Knich. in Epopſi ſect. 7. q. 10.* negat, *ante alleg. autores* affirmant: quibus accedimus, ſi modo & duo ſeqq. neceſſaria requiſita adſint: 1. ut ſe ſubmittens reſpectu illius, cui ſe ſubmittit, vel in totum vel pro parte libera ſit: 2. ut ſubmiſsio illa fiat tantum in certis capitibus, in cæteris vero integra libertas ſervetur. *Geil. d. loco.* Et ſubmiſsio illa non fiat in præjudicium ſacri imperij Romani, quod fit ſi Principes eximentes pro exemptis collectas ſolvant, tum enim parum, aut potius nihil, Imperio decedi creditur. Reichs Abſcheid zu Augſpurg *de anno 1548.* §. vnd alles durch die Kreiß. *ibi,* Iſt in berathſchlagung dieſes Punctens befunden/ das gleichwol etliche Stende *au*ßgezogen/ aber durch die *au*ßziehenten/ werden des Reichs anſchläge der außgezogenen erlegt vnd endricht / etc. Secus ſi Princeps civitatem planè eximere velit, & illa eximi ſe patiatur, tum enim fiſcalis intereſſe imperij prætendens proceſſus contra alterutrum vel utrumq; inſtituit: quia imperij intereſt ut ordines & ſtatus integrè conſerventur, *c. 1. de prob. F. alien. per Frid. Geil. 1. conſerv. 21.* Et hæc de vera exemptione intelligenda diverſa ratio eſt in protectione, cui ſi ſe civitas (quod generali conſvetudine Germaniæ receptum) committat, libertati ſuæ nigry detrahit. *c. recepimus de privil. & exceſ. prælat. Regn. Sixtin. vol. 1. conſ. Marp. 8. n. 104. Geil. 2. obſerv. 54. n. 4.* Non tamen temerè, nullâ urgente neceſsitate, maximè in præjudicium ſuperioris; id faciendum ſvadent, quia obedientia ejus paulatim minuitur, & defenſoris augetur: *Zaſ. conſil. 7. n. 5. lib. 2.* Et intereſt ejuſdem ſubditos annuam penſionem protectori ſolvendo non depauperari. *Cravet. conſ. 933. n. 23.*

40. Cæterum maximam illam, tam inter priſcos quam recentiores Politicos omnes diſceptationem, utrum mixtæ Reſp. dentur? ut paucis perluſtremus tempus & inſtituti ratio monet. *Bod. 2. de Rep. 1. cum Hippol. à collib. & ſimil. ſequacibus* negat: Adſtmarunt contra alij pleriq;, *Plat. 3. & 6. de ll. & 8. de Rep. Halic. lib. 2. Caſtar. Contarr. lib. 1. de Rep. Ven. Machiav. 2. diſcurſ. 2. caſ. 3. ſchar. 5.*

 Picol.

Picol. grad. 10. c. 9. Dan. 1. pol. 4. Arniſ. 1. pol. 8. Keck. 2. pol. 4. A quorum parte nullâ prorſus ratione decedimus, quia in tantis turbis, tantisq; & tam crebris mutationibus actionum humanarum, vix poteſt adeò ſimplex & inconfuſa Reſp. reperiri, in qua non ſit aliquid alieni admixtum: Quin & ipſe *Bodinus* parum ſibi conſtans videtur, dum *prædicto loco* mixtam dari abſolutè negat, poſtea vero *ibidem* unam formam alterius gubernandi ratione & modo, ut Monarchiam ratione Auſtocratiæ, temperatam eſſe poſſe concedit. At vero hoc ipſum eſt, quod volumus, nempe poſſe inter ſeſe temperari ſimplices iſtas Reip. formas. Si enim Monarchica adminiſtratio juxta ll. Ariſtocratiæ vel Democratiæ conformata ſit, vel Democratia & Ariſtocratia, ſecundum Monarchiam, quid aliud erit quam mutatio quædam ſtatuum? qui ſtatus miſcentur adminiſtratione mutuâ: Id igitur ſtatuimus, quod ſtatus hi tres, aut ex his duo miſceantur & contemperentur, vel aliquis unus in alterius naturam tranſmutetur & migret; Non quod confundantur ſubſtantiâ, ut loquitur *Tholoſ. 5. de Rep. 1.* ſed quod aliqua Reſp. participet nonnulla, vel de omnibus ſimplicibus formis, vel de aliquibus ex ijs ſicq; fiat, ut ſumma poteſtas non ſit penes ſingulos ſeparatim ac diviſim, ſed apud omnes univerſim & collectim conſideratos. *Latè Keck. in curſ. Phil. diſp. 36. q. 8.*

41. Temperamentum autem tale & mixturam, quamvis non exactam, eſſe poſſe inter Monarchiam & Ariſtocratiam, Ariſtocratiam & Democratiam, vel etiam Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam, latiſsimè docet *Keck. 2. Syſtem. à cap. 3. lib. 2. Syſtem. ad fin.*

42. De Imperio noſtro Romano Germanico rigidiſsimè hoc loco diſceptari ſolet; ſitne illud Monarchicum, anne mixtum? Anſam dedit, non tempus illud, quo Græci, Franci & primi Germanorum Impp. imperàrunt, nullum enim dubium, quin Monarchicè imperaverint, ſed hodiernum, quo ſenſim & electionem & jura Imperatoria in ſe Principes tranſtulerunt, & indies magis magisq; confirmarunt, donec tandem eò adegerint electum Principem, ut priuſquam imperium adeat, juret, ſe omnia privile-

privilegia & jura ſtatibus ſervatutum. *Lauderb. 1. de Rep. c. 15.* Nos hanc difficilimam controverſiam, non de lana caprina, ſed prioritate & præeminentia totius Germanicæ gentis agentem, ſequenti modo determinari commodè poſſe judicamus. Quod nempe ſit Monarchicum, ratione ſucceſsionis, ſeu ordinis, diſpoſitionis & dependentiæ. Unde Imperator noſter Monarcha Optimus Maximus, Dominus orientis, occidentis, meridiei, ſeptentrionis *l. deprecatio ff. ad l. Rhod. de jact. l. bona à Zenone C. de quad. præſc. Nov. 105. c. 2. c. in apibus 7. q. 1. Bald. conſil. 359. lib. 3.* qui & inter Principes mundi maximè refulget; *l. pen. ubi Bald. C. de bon. quæ lib. Clem. 1. in pr. de jurejur.* tanquam ſanctiſsimus & nobiliſsimus. *l. quæ res: de natal. reſt.* ut & Chriſtianiſsimus. *l. inter claras C. de ſum. trin. Chaſſ.in. in cat. glor. mund. part. 5. conſid. 27.* Uti argumenta fortiſsima ſunt, inveſtitura Principalis, extrema appellatio, quod à Principibus Imperator Germanus ſalutatur, quod ſceptrum, regale ſolum, corona, pallium regale, pomum; quod Orbis figuram repræſentat, ipſi dantur *Sleid. lib. 2.* Ad hæc omnes Germaniæ Principes ſunt vaſalli & fiduciarij Imp. Germanici, ab eo inveſtituram accipiunt, ei fidelitatem promittunt, fiduciaria obſequia præſtant, & quæ alia Imp. ſunt Principalia, quicquid etiam acerrimus ille Germanorum impugnator, *Bodinus*, ſeu Andius ſine bono, uti eum popularis *Cujac. 18. obſerv. 38.* per anagrammatiſmum vocat, paſsim *lib. de Rep.* præcipuè tamen *lib. 2. c 6. & Meth. hiſt. c. 6.* ogganiat, alijq; plurimi, *Tob. Paurm. lib. 2. de jurisd. c. 2. n. 9. Arnold. Clapmar. 5. de arcan. Rerump. 20. Arniſ. 1. pol. 8.* diſſentiant. Ratione tamen potentiæ & diſpoſitionis de Rep. Monarchicum non eſt, ſed mixtum. Et ſic ſentire videtur *Dominus Herm. Vult. in dedic. comment. ad t. C. de jurisd. Obrecht. de Regal. tit. 12. à num. 345. Kirchn. in ſua Rep. d. 1. theſ. 7. lit. e. in f. Heig. 1. q. 2. à n. 17.*

43. Commodè hoc loco quæri poteſt, quale fuerit Imperium, quando Imperatores quidam adſumpſerant collegas in adminiſtratione imperij? ut quando Antoninus Pius habuit Lucium Verum, Valerianus filium Galienum, Diocletianus Maximianum, Conſtantius Lucinium, Theodoſius Honorium, Valentinianus Valentem. *Aith. in pol. c. 32. & ex eo Han. diſp. pol. 10. th. 21. lit. a.* putant

ſent fuiſſe Ariſtocraticum, à quibus argumento prædictorum *theſ. præced. & ſeq.* dicendorum, non poſſumus quin divortium faciamus *cum Keckerm. 2. Syſt. 2. in pr.*

44. Imperator noſter ſolus eſt talis ſummus Princeps: cui tamen ex A. B. præſcripto *tit. 1. § præterea ſtatuimus, & tit. 2. & 4.* electione Septemvirorum & conſenſu omnium ſtatuum ſæpè adjungi ſolet vicarius, qui Rex Romano-Germanicus vel Cæſar dicitur: qualis Cæſar erat Ferdinandus vivente Carolo V. Maximilianus vivente Ferdinando, Rudolphus vivente Maximiliano. Et ſic conſtitutus Rex Romanorum jurisdictionem ordinariam & proprio jure habet, abſentis vel impediti Imp. vices & locum ſuſtinet, mortuoq; Imperatore ſine ulla electione Imperator exiſtit: unde & unum & idem cum Imp. tribunal habere cenſetur, & nulla valet conſvetudo ne ab uno ad alium appelletur, *arg. c. non putamus de conſuet. in 6. c. Romana de appellat. in 6.* imò mandatum cum libera habere putatur *arg. l. præſes 12. ubi Dd. C. de transact. l. 1. in pr. ff. de offic. ejus cui.* Cujus vi regulariter omnia facere poteſt, quæ ipſe Imp. cujus vices gerit, plerumq; facere ſolet: *Iſern. in c. imperialem. in pr. de probib. F. alien. per Frid. & ibid. Afflict. n. 3.* Niſi expreſsè quid ſit prohibitum, *Iſern. d. loc.* vel Imp. plerumq; facere non ſit ſolitus *Roſent. de Ff. p. 1. c. 9. n. 1. concl. 30. n. 8.* De bonis imperij patrimonialibus, ad menſam Imp. deputatis, ſine expreſſo ejus conſenſu, pro ſuo arbitrio alienando eum diſponere vix poſſe, præjudicio Cameræ probatum eſt; pleniſsimam enim poteſtatem Rex Romanorum, ſaltem in adminiſtrando non alienando habet. *d. l. præſes. l. probibere 3. § planè ff. quod vi aut clam. Geil. 2. obſ. 72. n. 8.* Mandatumq; de libera adminiſtratione, nunquam extenditur ad Domino pernicioſa. *l. 1. ff. de offic. proc. Cæſ. l. contra 28. § 1. ff. de pact. Iaſ. in l. pactum curatori n. 2. C. de pact.*

45. Verumenimvero ſummam illam majeſtatem ſoli Imp. competere acerrimè ad extremum usq; ſpiritum impugnat, triceps ille Pontifex Romanus, ſeq; à Deo ſuper regna & gentes conſtitutum *c. omnes principes de major. & obed. c. unam ſanctam extrav. comm. de major. & obed.* & tantum imperatori, quantum Sol Lunæ, *c. ſolitæ 5. de major. & obed.* anima corpori præſtat, *c. duo ſunt*

cum

cum ſeqq. d. 96. ſuperbè adſtruit, alibi autem ineptè ſibi contradicit, dum donatorem Conſtantinum laudat: *c. Conſtantinus d. 96.* ut & Caroli M. & Ludovici donationem. *c. ego Ludovicus d. 63.* Scitè enim Paulus JC. *in l. & an eadem 14. § pen. de except. rei jud.* non amplius quam ſemel res mea eſſe poteſt: Quid multis? abſurditas manibus palpari poteſt: ſi Papa univerſum imperium, ut antè dictum, à Deo habet, quid opus fuit particulam aliquam, regna occidentalia, dono accipere? quia dominium non ex pluribus cauſis ſed una tantum contingit. *l. 3. § ex pluribus ff. de acquir. vel amit. poſſ.* & quod jam noſtrum eſt, id amplius fieri noſtrum non poteſt. *§ 10. Inſt. de leg. § 14. Inſt. de act.* Quare meritò hanc litem *cum Ioach. Cluten. in ſyllog. theſ. 6. lit. d.* concludimus. Quod, ſi inter omnes omnium terrarũ Reges & Principes Pontifici Romano primam ſupremæ majeſtatis teſſeram, omnemq; prærogativam ſartam tectam relinqueremus, nihil aliud, omnium rectè ſentientium judicio; foret, quam impudicæ cuidam lupæ triobulari in honeſtiſsimo Matronarum Gynæceo primum dare ſubſellium.

46. Duæ hic tractari poſſunt ſatis ſpinoſæ quæſtiones: Prima eſt, an illa donatio Conſtantini facta ſit? Negant noſtri ad unum omnes. *Gl. ſpec. Sax. lib. 3. artic. 63. Schneid. in proœm. Inſtit. Eberhard. in Top. in loc: à veriſimili n. 15. & ſeq. Frider. Pruckm. § ſoluta poteſtas memb. 2. eff. 7. Camer. cent. 1. horar. ſucciſ. c. 61.* Quin & ipſi limatiores pontificij dubitant. *Bart. in præf. ff.* qui cum multa non obſcurè contra hanc donationem diſputaſſet, tandem ait, *videte, quia nos ſumus in terris eccleſiæ, idcirco dico, quod illa donatio valeat: Covar. 4. var. reſol. 16. n. 8. Zoan. tr. de Rom. imper. Menoch. de A. I. Q. l. 2. cent. 6. caſ. 559. n. 10. & plurimi alij.* Et quidem merito: quia 1. hæc donatio diverſis verbis, diverſoq; ſenſu apud omnes reperitur: aliter Melchiades Papa *in c. futuram 12. q. 1.* aliter Papa *c. Conſtantinus d. 96.* aliter Leo IX. *in epiſt. 1. ad Michaël.* alij aliter. 2. Diverſæ ſunt & ſibi mutuò repugnantes formulæ: alius ſedem imperialem, alius urbem Romam, alius palatium Lateranenſe, alius Palatium & dignitatem regalem traditam, alius imperium totum occidentale, alius Italiam tantum concreditam ſcribit. Cum autem non adpareat, cui credendum, ſatius eſt neutri fidem adhibere. *l. ſi quis ff. de reb. dub.* & con-

 ſtat,

ſtat, ſcripturas diverſas, & fidem ſibi invicem derogantes nihil habere firmitatis. *l. ſcriptura 14. C. de fid. inſtrum.* 3. Antiqui nullam hujus donationis mentionem fecerunt, non Euſebius, qui Conſtantini vitam dignisſimè deſcripſit, non Sozomenus, non Theodoretus, non alij. Quin imo *Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant.* contrarium manifeſtè tradit, dum ſcribit, Conſtantinum filijs ſuis tribus imperium diviſiſſe, & Conſtantinum occidentalium partium, Conſtantium orientalium, Conſtantem interjectarum, Principem conſtituiſſe. Quæſo ergo quomodo Sylveſtro tradidit? Accedit 5. quod falſiſſima & in cerebris Pontificijs nata ſit cauſa donationis: Nam Nicodemiæ, non Romæ, ab Euſebio Epiſcopo, non Sylveſto Papa, anno ætatis 65. non initio imperij, à lepta immunem baptizatum fuiſſe Conſtantinum *d. Euſeb.* memoriæ reliquit. *Vide latè ante dd. & inprimis Brut. Fulm*

47. Altera ſuccedit: An, ſi donatio illa facta eſſet, poſſit ſubſiſtere? Quod negat *Eberh. in Topic. loc. à veriſimili n. 16.* & ex alijs eam revocandum probat, ex eo, quod, juxta mandatum Chriſti, *Matt. 22. 21. Marc. 12. 17. Rom. 13. 7.* Deo, quæ Dei ſunt, Cæſari quæ Cæſaris, ſint reſtituenda: magis appoſitè facit, quod donatio illa in Imperij præjudicium facta ſit, quam revocandam vel ipſe Papa in decretalibus, non obſtante, *de non revocanda alienatione iſta*, principis juramento, ſancit. *c. intellecto 33. X. de jurjur.* Accedit, quod princeps non poſſit ditiones ſuas alienare ſine ſubditorum conſenſu, *de quo infrà opportuniùs.* vide hanc ſententiam pluribus rationibus tuentem *Pruckman. § ſoluta poteſtas, m. 2. cap. 4. eff. 7. Heig. ad Epigraphen. proœm. inſtit. Bronch. 2. aſſ. 80. Boc. tract. de Reg. c. 4. n. 43.*

48. Sed nec his quidem, qui mos eſt hominum leviſsimorum, & contra meridianam lucem annitentium, contenti noſtri pontificij, aliam pharetram explicantes, ſequens telum expromunt; quod nempe tum demum quando Imp. noſter coronâ aureâ ornatur, ungitur & conſecratur à pontifice, imperatoriam majeſtatem conſequatur. Sed nos quoq; huic planè reſiſtimus, & vi ſolius electionis competere aperto textu *A. B. tit. 2. § ult.* confirmamus: Et quæſo an quia Impp. nonnulli à Papa uncti ſunt, hinc ſequitur papam in temporalibus imperatore majorem, & eum il-

lius

lius vaſallum eſſe? Minimè gentium. Mos enim ille à Conſtantinopolitanis, ad exemplum Hebræorum *1. Reg. 9. 2. Reg. 2. 3. Reg. 1. Levit. 18.* obſervatus fuit, ut qui primùm Imperator renunciatus eſſet, à Patriarcha Conſtantinopolitano in magna Byzantij baſilica oleo unctus, diademate aureo coronaretur. Quem morem poſtea tam pontificatus quam imperij ſucceſſores religiosè obſervarunt, non quod jurisdictionem ſe inde conſequi arbitrarentur, ſed eccleſiæ precibus & benedictione ea dona ſibi interius conferri & augeri cuperent, quæ exterior & viſibilis unctio præfiguraret: *uti ſupra diſp. 4. theſi 53. innuimus. vide Alber. de Roſat. in l. benè à Zenone num. 19. C. de quad. præſcr. ex c. 1. de ſacra unct. adde Paurm. de jurisd. lib. 2. cap. 4. num. 5.* Quin & laudatiſsimos Heroës, Rodolphum I. Maximilianum I. & II. Ferdinandum, Rudolphum II. & invictiſſimum noſtrum Matthiam I. ſine papali conſecratione, ſtatim legitimè expeditâ electione, plenum jus obtinuiſſe notorum eſt: Atq; utinam idem reliqui impp. feciſſent, non tam pontificia tyrannis adaucta, Germania tot vanis ſumptibus vexata, deniq; ſuo ſanguine repleta aliquoties non fuiſſet; nec principes Romani, nimiâ patientiâ læſi per præpoſteram pontificum ambitionem, quâ ſe ſub ritu unctionis Imperatoriam majeſtatem ſuo ſuffragio confirmare, eamq; ſibi fidelem & ſubditam facere voluerunt, vindicaſſent ſæpè tantis bellis & certaminibus. O oleum nimis charum! magno civitatum ac prædiorum imperialium munere impp. te multoties mercati ſunt. ô oleum minimè olens, Mephytim diceres! ob te tanta certamina nata ſunt, ut Germania ſæpe ſanguine redundans, cædibus magis quam oleo cæſares ſuos conſecratos poſſit dicere. *Cuſpin. in vit. Frider. Schonb. 5. pol. 8. Clud. in Syllog. th. 4. lit. d.*

49. Porro quia imperium noſtrum Romano-Germanicum ratione potentiæ, & diſpoſitionis de Rep. mixtum eſſe *theſ. 41.* diximus, caputq; & membrum principale illius mixturæ in ſeqq. theſibus explicavimus; placet jam reliqua mixturæ membra adjicere, quæ dividuntur vel in claſſes, vel in circulos. Claſſes ſunt 7. In 1. ſunt ſeptem Electores S. R. I. *ſupr. diſp. 2. th. 11. numerati.* In 2. Archiepiſcopi: *Magdeburgenſis, ex antiquo Germaniæ inſtituto & prærogativa*

gatiha per Germaniam primas. Saltzburgenſis, qui perpetuâ quâdam Pontifi-cis Maximi legatione fungitur, & legatus natus ſedis Apoſtolicæ appellatur. Bremenſis. Veſontinus. In 3. Epiſcopi, quorum hoc tempore 27. in Comitijs locum habent. *1. Papæbergenſis vel Bambergenſis: 2 VVirtz-burgenſis, vel Herbipolenſis. 3. VVormatienſis, 4. Spirenſis. 5. Argen-tinenſis: 6. Eichſtadenſis. 7. Auguſtanus. 8. Conſtantienſis, 9. Hildeſienſis; 10. Padebornenſis: 11. Verdenſis: 12. Halberſtadenſis. 13. Monaſterienſis: 14. Oſnabrugenſis. 15. Paſnavienſis. 16. Freiſingenſis: 17. Baſilienſis: 18. Ratiſbo-nenſis: 19. Mindenſis. 20. Lubecenſis: 21. Verdunenſis: 22. Cameracenſis: 23. Me-tenſis. 24. Tullienſes. 25. Leodicenſis: 26. Tridentinus: 27. Brixienſis.* Hiſce ex veteri prælatorum ordine adſcripti ſunt: *1. Magiſter ordinis Equi-tum Teutonicorum ſeu Marianorum. 2. Abbas Fuldenſis, Auguſtæ Archican-cellarius & Germaniæ primas. 3. Abbas Hersfeldenſis. 4. Abbas Murbacenſis. 5. Abbas Campidonenſis. 6. Magiſter ordinis equitum Divo Iohanni Sacrorum, 7. Præpoſitus Elbangenſis. 8. Præpoſitus & Archipræsbyter Berchtelsgadenſis, Abbas olim vocatus Decreto Spirenſi Anno 1529. 9. Abbas Corbeienſis. 10. Ab-bas Prumenſis. 11. Abbas Stabulenſis.* In 4. claſſe ſunt principes poli-tici, quorum 18. ſunt familiæ. *1. Archiducum Auſtriæ, quorum duæ ſunt familiæ, prima à Ferdinando, quæ propriè Auſtriaca, altera à Car. V. de-ducta quæ Burgundica appellatur. 2. Ducum Bavariæ, in duas itidem lineas diſtincta, quarum una communi nomine Bavarica, altera palatina nuncupatur. 3. Ducum Saxoniæ, Marchionum Miſniæ, & Landgraviorum Thuringiæ. 4. Mar-chionum Brandeburgenſium. 5. Ducum Brunſvicenſium & Lunæburgenſium. 6. Ducum Iuliacenſium, quæ nuper extincta. 7. Ducum Pomeraniæ. 8. Ducum Me-litanorum. 9. Ducum VVirtebergenſium. 10. Landgraviorum Haſſiæ. 11. Mar-chionum Badenſium. 12. Ducum Saxoniæ inferioris, ſeu Lauenburgenſium. 13. Ducum Holſatiæ, à quibus Reges Daniæ. 14. Landgraviorum Leuchtenbergen-ſium. 15. Ducū Sabaudiæ. 16. Principum Anhaltinorum. 17. Ducum Lotharingiæ. 18. Comitum Arnbergiorum à D. Max. II. inter imperij principes ſuſceptorum. Quibus hodiè Ratziuilios addendos ex Schonb. ſupr. diſp. 1. th. 54. diximus.* In 5. prælati, & primò Abbates & præpoſiti, ſecundum matriculæ ordinem: *1. Reichenavienſis. 2. VVeiſſenburgenſis præpoſitus. 3. VVeingar-tenſis. 4. Salmensvveilenſis. 5. VValkenriedenſis. 6. VVeiſſenavienſis. 7. Schuſſenritenſis. 8. Roggenburgenſis. 9. Ochſenhuſanus. 10 Gengenbacenſis. 11. Martalenſis. 12. Odenheimenſis. 13. Elbingenſis. 14. Irſinenſis. 15. VVet-*

huſanus.

buſanus Præpoſitus. 16. Petershuſanus. 17. Keiſerheimenſis. 18. Heimerani Ratisbonenſis. 19. Monaſterij vallis Gregorianæ. 20. Munchenredenſis. 21. Monaſterij Corneliani. 22. VVerdenſis. 23. Vrſpergenſis. 24. Augustanus. Quibus & alij adjecti ut ex ſubſcriptionibus Decretorum comitialium adparet. Deinde Abbatiſſæ: *1. Quetlinburgenſis. 2. Eſſenſis. 3. Hervordenſis. 4. Monaſterij Ratisbonenſis, cum ſuperioris, tum inferioris, 5. Lindavienſis. 6. Gerenrodenſis. 7. Buchavienſis. 8. Rodmunſterienſis. 9. Hekbbacenſis 10. Guttencellenſis. 11. Beintenſis. Ex his etſi pleraq; principum honorem ac titulum gerunt: tamen quoad locū in conſeſſu, ac dictionem ſententiæ, pari cum reliquis jure cenſentur.* Prælatis annumerantur, *commendatarius provincialis Confluentinus: item Alſatiæ & Burgundiæ, Auſtriæ enim & Etsklandiæ Baillivi, ut vocant, ab Archiducibus eximuntur.* In 6. Comites & Barones hac ſerie: 1. Helfenſtein. 2. Lupffen. 3. Montfort. 4. Fürſtenbergk. 5. Ziembern. 6. Eberſtein. 7. Hohengroltzech Barones. 8. Ottingen. 9. Reupoltzkirch Barones 10. Sultz. 11. Hohenzollern. 12. Erbtruckſeſſen Barones in Waltburg. 13. Caſtell. 14. Hohenlohe. 15. Limpurg. ſemperliberi, 16. Erbach. 17. Schwartzenburg vnd Hohenlandesberg 18. Leiningen. Dageberg. 19. Hanaw. 29. Naſſaw. 21. Eiſenberg. 22. Solms. 23. Salm. 24. Winneberg Barones: 25. Wilt vnd Reingraven. 26. Falckenſtein. 27. Eberſtein. 28. Sain. 29. Tengen: 30. Tübingen. 31. Manßfelt. 32. Stolberg. 33. Barbey. 34. Gleichen. 35. Schwartzberg der 4. Graven des Reichs. 36. Reuſſen Barones. 37. Wiedt. 38. Oſtfrießlant. 39. Lippe. 40. Oldenburg. 41 Waldeck. 42. Bentheimb. 43. Bruneckhorſt Battēburg. 44. Ortenburg. 45. Schaumburg. His accedunt Barones 1. Schonburg. 2. Manterſcheidt. 3. Krichingē Königſeck vñ Julendorff 4. Pirmont vñ Wolffoſtein. 5. Paumgarten. 6. Graveneck. 7. Mechſelrein. 8. Fugger 9. Fleckſtein. 10. Steinßheimb. 11. Herrn Schencken von Tautenberg. 12. Herrn von Birnbaum. 13. Herrn von Degensberg/ꝛc. In 7. & ultima claſſe ſunt civitates liberæ Imperiales, quæ diſtinguuntur ſecundum ſeſſionem, quam habent in Comitijs, eamq; vel in Svevico vel Rhenano latere. In latere Svevico ſunt: 1. Regenſpurg/ 2. Nürenberg/ 3. Rottenburg an der Tauber: 4. Weiſſenburg am Norrgaw: 5. Schwebiſch oder Tonnawerth: 6. Winsheim: 7. Schweinfurt/ 8. Wimpffen/ 9. Heilbrun/ 10. Schwäwiſchen Hall: 11. Nörlingen: 12. Dunckelſpiel/ 13. Vlm/ 14. Augſpurg: 15. Bingen/ 16. Bepffingen/ 17. Jcolen/

len / 18. Schwäwiſchen Gemünden/ 19. Eßlingen/ 20. Reutlingen: 21. Weil/ 22. Pfülendorff/ 23. Kauffbeuren: 24. Uberlingen: 24. Wangen: 25. Yſny/ 26. Leutkirch/ 27 Memmingen/ 28. Goßlar/ 29. Türckheim/ 30. Verden. In Rhenano latere ſunt: 1. Kempten/ 2. Buchorn/ 3. Ravenſpurg/ 4. Biberach/ 5. Lindaw/ 6. Coſtnitz/ 7. Straßburg/ 8. Keyſersberg/ 9. Colmar/ 10. Schledſtat/ 11. Rodweil/ 12. Hagenaw/ 13. Weiſſenburg am Rein/ 14. Ober Nehenheim/ 15. Roſtheum: 16. Speyer/ 17. Wormbs/ 18. Franckfurt/ 19. Fr.edberg/ 20. Gelnhauſen: 21. Wetzlar/ 22. Cöln/ 23. Aach/ 24. Offenburg/ 25. Landaw/ 26. Gengenbach/ 27. Zell an Hemersbach/ 28. Lübeck/ 29. Hamburg/ 30. Dortmünd/ 31. Mülhauſen in Düringen/ 32. Northauſen in Düringen/ 33. Münſter in S. Gregorienthal/ 34. Hervorden/ 35. Cammerich. Sunt & matriculæ inſertæ *Gedanum ſeu Dantiſcum & Elbinga, à Polonis avulſæ. Item* Nieder Weſel / Soſt / Brackel/ Warberg/ Lemgaw/ Verde/ Herverde / *& aliæ, de quibus inter Principes eas eximere conantes, & Fiſcalem Imperij lis indeſinita pendet.* Quemadmodum hæc omnia ordine recenſet *Tob. Paurm. lib. 2. de jurid. c. 1. n. 17. pag. 325. & ſeqq.*

50. Eadem membra poſtea circumſcribi cæperunt in circulos, quorum primò 6. tantum fuerunt conſtituti à Maxim. I. in der Ordnung deß Regiments zu Augſpurg *anno 1500. tit.* Wie 20. Perſonen in das Regiment genommen ſind *§.* die ander ſechs Perſonen &c. Römiſcher Königlicher Mayeſtet Regiment zu Wurmbs/ *anno 1521. §.* die andere ſechs Perſonen. Poſtea neceſſitate urgente, ad juſtitiam in Imperio, pacem publicam, ſanctionesq; tuendas, ut & ſententias, mandata, aliasq; res exequendas, 6. illis prioribus, diviſo Saxonico & Rhenono 4. additi atq; ſic 10. conſtituti ſint. Abſcheid deß Reichs zu Cölln *anno 1512. §.* darauff haben wir ſampt den Ständen/ zehen Circul geordnet: Erklerung deß Landfriedens zu Nürenberg *de anno 1522.* Hernach folgen die zehen Kreiß/ wie vnd auff welche ert die in das gantze Reich außgetheilet werden. Nos novè additos præmittendo reliquosq; 6. antiquos ſubjiciendo paucis ſingulos perluſtrabimus.

51. Circulus *1. Auſtriacus,* ſub quo ſunt Auſtriæ Exarchatus, & Tirolis Comitatus cum omnibus ſubditis regionibus, & Epiſcopis, Tridentino, Brixienſi, Labacenſi, Viennenſi. *2. Burgundicus,*

ſub

ſub quo eſt tota Burgundia cum omnibus ditionibus ſubjectis, 3. *Rhenanus ſuperior Electoralis*, ſub quo ſunt 4. Electores circa tractum Rheni, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Palatinus, cum Magiſtro ordinis Teutonici in coblentz & alijs prælatis, Comitibus & Baronibus ſub ijsdem ſuas ſedes habentibus. 4. *Saxonicus ſuperior*, ſub quo ſunt Electores duo, Saxoniæ & Brandenburgi, Epiſcopi, Miſnenſis, Martisburgenſis, Naumburgenſis, Brandeburgenſis, Halverburgenſis, Lubecenſis, Duces Saxoniæ, Pomeraniæ. Principes Anhaltini, unà cum prælatis, Abbat. Comit. Bar. horum ditionibus contentis. 5. *Francicus*, ſub quo Epiſcopi tres, Bambergenſis, Herbipolenſis, Aichſtadienſis, Buggravius Norinbergenſis, cum prælat. Comit. Baron. Civitatibus liberis ejusdem ditionis. 6. *Bavaricus*, ſub quo ſunt, Archiep. Salisburgenſis, Epiſcopi tres, Ratiſponenſis, Friſingenſis & Paſſavienſis, Duces utriusq; Bavariæ, Landgravij Leuchtenbergenſis, cum prælat. Comit. Bar. Civitat. liberis, illarum provinciarum. 7. *Svevicus*, ſub quo Epiſcopi tres, Curienſis, Conſtantienſis, Auguſtanus. Duces Wirtebergenſes & Teccæ, Marchiones Badenſes, unà cum præl. Com. Bar. & lib. civit. illarum ditionum. 8. *Rhenanus* inferior, ſub quo ſunt Epiſcopi, 4. Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Baſilienſis, Abbas Fuldenſis, Duces & Comites Palatini, Duces Bibontini & Simerenſes, Dux Lotharingiæ, Landgravij Haſsiæ, Comites Auſtraſiæ & Wetteraviæ, unà cum cæteris præl. Comit. Bar. & civit. liber. circumcirca ibi habitantibus. 9. *VVeſtphalicus*, ſub quo Epiſcopi Padebornenſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Verdenſis, Mindenſis, Cameracenſis & Ultrajectinus. Duces Juliacenſes, Bergenſes, Clevenſes, Geldrienſes, Comites Noſſovienſes, Seinenſes, Viernburgenſes, Iſenburgenſes inferiores & cæteræ regiones usq; ad Moſellam, unà cum cæteris ejusdem ditionis præl. Comit. Bar. & lib. civit. 10. *Saxonicus*, inferior, ſub quo Archiepiſcopi, Magdeburgenſis & Bremenſis, etiam Epiſcopi Hildensheimenſis, Halberſtadienſis, Lubecenſis, Sverinenſis, Razzeburgenſis, Suſſinenſis, Mindenſis, Verdenſis: Duces Brunſvic. Lunæburg. Meg pol. Holſat. Lauenburg. unà cum præl. Comit. Baron. & civ. lib. eorundem ditioni ſubditis ad Oceanum uſq;. *vide Schonb. 5. Pol. 6. Clut. in Syllog. theſ. ſin. lit. 6.* Et

52. Et diviſio hæc circularis ideo facta eſt, ut Comitia circularia commodius habeantur: Habendorum tamen cauſæ ſunt, vel ordinariæ, quæ ſcil. ipſis perpetuò expediendæ ab Imperio injunctæ ſunt: Quales ſunt, quæ ad pacis publicæ conſervationem, ſententiarum ac reliquarum conſtitutionum ac mandatorum Imperialium executionem pertinent: Erklärung des Landfriedens zu Nürnberg *de anno 1522. in pr.* vel extraordinariæ, quæ propter præſentem neceſsitatem circulis ab Imperio injunguntur. *vide* Reichs Abſcheid zu Augſpurg *de anno 1555.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

Ex tit. 10. cum 4. ſeqq. lib. 2. Inſtit.

1. Teſtamentorū originem juri gentiū, non civili, attribuendam cenſemus.

2. Principem, etiam ex plenitudine poteſtatis; teſtamentis privatorum derogare poſſe pernegamus.

3. Solemne in ſcriptis teſtamentum adhuc hodiè 7. teſtium præſentiam deſiderare putamus.

4. Teſtamentum ſolo annulo, non etiam ſigno quovis charactem habente, ſecundum juris diſpoſitionem, ſignandum eſſe arbitramur.

5. Filiumf. emancipatū in patris teſtamēto ad teſtimoniū non admittimus.

6. Teſtimoniū legatarij in nullo teſtamēto, nec ſcripto, nec nuncupativo rejicimus.

7. In teſtamento militum rogationem non requirimus.

8. In teſtamento tempore peſtis facto de jure civili 7. teſtes præcisè requiri, non item de conſvetudine, dicimus.

9. Filiumf. ne quidem de bonis adventitijs, quorum uſusfr. patri non adquiritur, teſtari poſſe certò ſtatuimus.

10. Teſtamentum in quo parens filium, quem in poteſtate habebat, prætervijt, etiamnum omninò nullum eſſe ducimus.

11. Teſtamentum militis in expeditione occupati, ut & liberorum de caſtrenſi peculio teſtantiū, ne jure quidē noviſſimo quærelæ ſubjacere vix putamus.

12. Cauſas exheredationis Nov. 115. c. 3. & 4. expreſſas ad ſimiles vel & graviores extendi poſſe, exercitij cauſa cum ſchola communi ſtatuimus.

13. Liberos monſtroſos neceſſariò inſtituendos non eſſe defendimus.

14. Teſtatorem jus adcreſcendi prohibere non poſſe ponimus.

15. Turpem demonſtrationem heredis inſtitutionem vitiare remur.

16. Herede inſtituto deportato, non fiſcum, ſed ab inteſtato venientes admitti concludimus.

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO OCTAVA

DE

ADMINISTRIS REIPUBLICÆ, AC IN PRIMIS CONSILIARIIS.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit. 15. ad 20. lib. 2. Inſtit. Imp. excerptis.

Quam

DANTE DEO TRINUNO

IN ILLUSTRI HAC ROSARUM ACADEMIA

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

ANDREAS BRUMMERUS

Stargardenſis.

Ad diem 13. Julij.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Nobiliſsimis, ampliſsimis, conſultiſsimis, longâq́ rerum experientiâ & prudentiâ excellentiſsimis viris,

DN. THOMAE MILDENITZ
DN. IOACHIMO PETERSTORF
DN. DANIELI FRANCKIO

Patriæ Reip. Stargardenſis Coſs. graviſsimis, patronis ac fautoribus meis colendis civile hoc exercitium offero.

ANDREAS BRUMMERUS
Pomer.

Digitized by Google

Disputatio VIII.

DE ADMINISTRIS REIP: ET INPRIMIS CONSILIARIIS.

Thesis I.

DIffuſiſſimamMagiſtratus materiam privatæ diſquiſitioni ſubjecturi, quinque eam capitibus commodè abſolvi poſſe, nempe diſtinctione, modis conſtituendi, confirmatione, diviſionibus & deniq; adminiſtratione *ſupra diſp. 4. th. 3.* diximus: Quatuor prioribus hucusq; pro inſtituti noſtri modulo ſatis explicatis: Reſtat poſtremum, munus; mehercule, magnum ac difficile, onus omnium maximum, cui ferendo, ut ullus hominum par eſſe poſsit, impoſsibile eſt, niſi inſtrumentis quaſi & medijs ſummè neceſſarijs inſtructus ſit: *Keck. 1. Syſt. 6. Arniſ. 1. pol. 14.*

2. Media illa triplicia eſſe ducimus, nempe vicarios ſeu officiales, leges & ærarium: De illis tanquam cauſis adjuvantibus hac vice.

3. Sunt autem officiales ſeu adminiſtri, qui in partem curarum ac onerum à magiſtratu accerſuntur, vel in perpetuum, vel ad tempus. Contra hos quam deteſtandè diſputet *Macb.* vide *lib. 1. de Princ. c. 23*

4. Perpetuos dicimus officiales, qui ſunt decorati titulo & dignitate perpetuâ in hæredes tranſitoriâ, quales ſunt in imperio noſtro Principes, conſtituti ab imperatore: is enim ſolus eſt, qui vigore ſuæ majeſtatis & poteſtatts ſummæ creat, Reges, *Roſenth. de Ff. c. 2. concl. 2. n. 3.* Electores: *A. B. Car. IV.* Archiduces, Duces, Principes: *Zaſ: de Ff. p. 5. n. 6.* Marchiones, Landgravios, Pfaltzgravios, Burggravios, Comites, Barones, Equites, Nobiles (etſi enim ex privilegijs aut conſvetudine hoſce quidam facere queant, non tamen propriè ab ipſis ſed à ſuperiore illorum mediatè profluxiſſe creditur) *c. 1. ubi Schenck. Baro, qui dic. Dux: c. 1. de*

F. Marchia in uſib: *Ff.* Comites palatinos, *Ferrar: Montan: de Ff: lib.5. c. 7.* Tabelliones & notarios: *Zaſ: de Ff: p.1. n.14. Borch: ad c.un. quæ ſint Regal: Regn: Sixtin: de Regal. lib.1. c. 2. n.35. & lib.2. c.15. n.14.*

5. Temporales nominamus illos, quibus ad tempus officia & honorum tituli imponuntur, & pro cujuſvis magiſtratus ſuperioris lubitu dimitti & mutari poſſunt.

6. An Magiſtratum novum prædeceſſoris ſui officiarios mutare, eosq; dimittere deceat? haud inconvenienter hic quæritur. Sunt qui abſolutè adfirment, & novi magiſtratus ingenio maximè adcommodatos accerſendos defendant: Sunt qui planè negent, niſi magna eorum arguatur improbitas. Nos non facilè aut temerè quidem mutandos ſeriò adſerimus, quia ſciunt vires Reip: gnari ſunt morum, inſtitutorum juriumq; provinciæ, experientiâ ductrice plurima Reip: adminiſtrationi, civiumq; gubernationi utiliſſima cognoverunt, de quibus novum Magiſtratum monere poſſint: *Tholoſ. 24. de Rep. 6. n. 15.* Quin & ijs confeſtim mutatis, aut modum regiminis, leges adeoq; totum vivendi inſtitutum mutatum iri opinantur ſubditi, aut violentam libertatis oppreſſionem ſuſpicantur: ſuſpicio autem iſthæc quid poſſit, quasq; ſæpiuſculè adquirat vires, neminem, niſi planè rerum politicarum imperitus ſit, latere poteſt *Bodin.3. de Rep.1.* Nec tamen ad neceſſariò eos retinendos magiſtratum adſtringimus, ſed ſi peculiaria quædam tempora ingruant, & res ipſa reformationem, vel Reip: ipſius, vel aulæ poſtulet, aut etiam ſi magis idoneos habeat, ut veteres, cautè tamen, non repentè (quia tum miſcendi potius veteribus novi ſunt) mutet, ſvademus. Si vero apertorum ſcelerum convicti ſint, & ob id ſubditis inviſi, tunc ut ſine cunctatione amoveat, hortamur. *Thol: loc. d. & 10. c.3. Antimach l.1. de Regno admin. theor. 3. Keck. 1. Syſt. 7.*

7. Adminiſtri temporales adhibentur vel ad conſilium, vel ad res gerendas.

8. In conſilio (quæ vox dupliciter apud autores ſumitur, vel pro ſenatu ſeu ſelectorum virorum cætu, vel pro ſententia à ſenatu concluſa *vide Keck. d.loc.*) requiruntur potiſſimum tria: 1. Conſiliarius qui conſulitur: 2. magiſtratus ſeu Princeps, qui ſenten-

ſententiam vel conſilium rogat: 3. Res, quæ veniunt in conſilium, & conſiliorum finis. *Hoen. diſp. pol. 4. th. 11.*

9. Conſiliarius eſt, qui magiſtratui ſuo conſilia ſalutaria de Republ: fideliter & prudenter ſuggerit: *Thol. d. c. 3. l. b. 10. Alth. c. 22. Lipſ. 3. civil. doctr. c. 4.* Conſiliariorum quanta ſit utilitas & neceſsitas in Rep: latiùs hic non exponimus, quia pleni ea de re omnium ſunt libri; iiq; dicuntur; pars corporis Principum: *l. quiſquis C. ad l. Iul. Majeſt. c. ſi quis 6. q. 1. c. felices de pœn. in 6.* cum ipſo Principe quaſi unum conſtituere corpus, *l. jus ſenatorum C. de dignit. lib. 12.* Principum amici, *l. 4. C. de contr. ſtip.* Patritij *l. ult C. de Coſſ. lib. 12.* Sunt liberati patriæ poteſtatis nexu *d. l. ult.* ab omnibus muneribus & oneribus immunes: *l. Iuriſperitos 33. l. adminiſtrantes 44. de excuſ: tut: & ſimilib.*

10. Sed num cuivis magiſtratui, tam prudenti & conſilio pollenti, quam per ſe non ſapienti, conſiliarij neceſſarij ſint? ob frivolas nonnullorum diſſenſiones hic inquirendum: Ab affirmativa nullo prorſus diſcedimus modo, quia in Rep: tam varij caſus, tam varia ſcelerum, periculorum ac negotiorum genera quotidiè cuivis magiſtratui objiciuntur, ut ſi ipſum Argum ſuperet, ſolus ſatis oculatus eſſe nequeat: quin & licet prudentiſſimus ſit, periculoſiſſimum tamen eſt propriæ ſuæ prudentiæ ſoli in omnibus fidere, præſertim in ijs quæ ancipitem habent aleam: Nam & ſapientiſſimorum natura non minus ſæpè affectibus, erroribus & vitijs obnoxia quam alterius cujuſvis hominis. Quare quam neceſſaria ſunt fulcra ad ædificij ſuſtentationem, & mens ad corporis humani conſervationem, tam neceſſarij ſunt omnibus Magiſtratibus boni conſiliarij, nec his ſolum, ſed & instar canum, qui præſidio ſunt & paſtori & ovibus, ipſis ſubditis, ne vagentur in incerto & multorum fallacijs ac deceptionibus exponantur. *vide fusè Keck: in diſcurſ: de conſil. q. 2. Timpl. lib. 3. q. 2.*

11. In conſiliario ſpectanda veniunt tria: 1. electio. 2. officium: 3. diſtributio.

12. In electione notandum, quinam & quales ſint eligendi, nempe idonei, digni & habiles, quales judicantur illi, qui muniti ſunt neceſſarijs cum animi tum corporis præſidijs ac velut inſtrumentis: quorum quædam ſunt inſita, ut ingenium & forma

 corpo-

corporis, vel adquiſita, ut eruditio. *Hippol. à collib. in tract. de conſil.* & *conſil. Hoen. diſſ. pol. 4. theſ. 4. & ſeqq.* plura alia requiſita *vide ſupra diſp. noſtra 4.*

13. Ingenium maximè neceſſarium eſt: Nam ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus elevari poſſunt, machinis facilè tolluntur, ita quod alia ratione nequeas, ingenio id facilè efficies. Ingenium autem illud ſit non ſolum acutum & magnum, ſed & alacre & aptum, quod habeat judicij rectam normam. Et tali præditus dignoſcitur, ſi in dicendo argutus, in reſpondendo promptus, in accipiendo facilis, in docendo clarus, in ſerijs cautus fuerit. *Frid. Fur. Ceriol. c. 2. de concil: & conſil: Hœn: d. d. theſ. 17. 18.*

14. Hujus loci quæſtio eſt illa, an optandi magis ſint conſiliarij tardi, quam acuti & ſubtilis ingenij? Prius affirmamus, quia teſte *Lipſ: lib. 3. doct. civ. c. 4. & ibid. in notis*, iſta velocia ingenia ſemper movent aliquid, & nec quieta quieta ſinunt; in multiplici inventione, & rationum copia plerumq; natant, & ægrè expediunt aliquid, cui inſiſtant; proponunt ea ſibi, quæ non ſunt non erunt, & mentem conſiliaq; adverſarij æſtimant à ſubtili ſua mente.

15. Eodem referri poteſt illa: utrum præſtabilius ſit, habere ingenioſum & bonum Principem, & ſtupidos malosq; conſiliarios, quam ſtupidum & malum Principem, & ingenioſos bonosq; conſiliarios? *Keck. 1. pol. 7 p. 156.* hanc quæſt. diſtinctione duplici limitat: *Machiav: in princ:* pro priori parte acriter militat: Nos ab utroq; diſceſſum facimus, & meliorem Remp: ac pænè tutiorem arbitramur, in qua Princeps malus, eâ in qua ſunt amici ſeu conſiliarij Principis mali.. Nam quæſò, quid vel optimus Princeps faciet, ſi ejus familiares mali extiterint? an in ordinem redigere conabitur? perdifficile iſtud admodum, & propè unum eorum, eſt, quæ fieri nequeunt: callidis ac pernicioſis horum conſilijs parere neceſſe habebit: Accedit inſuper, quod unus à pluribus corrigi, ex adverſo vero difficulter fieri poteſt. Confirmat etiam exemplum primi Iudæorum regis Saul, qui licet impius, tamen dum Samuelis Prophetæ conſilio uſus eſt,

rectè

Digitized by Google

recte plurima feliciterq; geſſit. Probat Ioas, qui etſi 7. ſolummodo annorum eſſet, cum regnare cœpit, tamen egregiè regnum adminiſtravit, quia Iojadæ ſummi ſacerdotis, aliorumq; optimatum conſilijs obtemperavit: Evincunt alij, qui Principes minus laudati, prudentes, docti, quia conſiliarios habuerunt bonos, multa ſuis in regnis utilia & imperijs conſtituerunt. *vide Melch. Iun. tom. 1. orat. à pag. 1167. 5. orationibus hanc rem pertractantem: Bod. 3. de Rep: 1. Alth. c. 22.*

16. Forma quoq; corporis dignitati congruens, oris decus & elegantia magnum in conſiliario ornamentum, *Frid. Fur. Cer. d. l. c. 3. Durus de Paſcolo in Aulico polit: reg. 43. & 75:* quare meritò in electione attenditur, non tamen neceſſitate inevitabili requiritur, uti vis ingenij: Si enim uno carendum, malunt politici caput minùs ornatum, modò habeat cerebrum, quam caput variè pictum, cerebro carens. *Mel. Iun. q. pol. 21. Caſm: in vit. pol. c. 20.*

17. Ad requiſitum hoc pertinet ætas, quæ regulariter non ſit juvenilis, 30. annis circumſcripta, in quâ melius eſt ut juvenes celebres adeant Academias, peregrinentur, ſicq; uſu & exercitatione animum obfirment ad melius capiendum de Rep: conſilium, vitiaq; juventuti q. ingenita extergant: nec ſenio nimis languida ultra 60. annos porrecta, quia tum memoriæ vigor flacceſcit, intellectus vacillat, experientia in obſtinationem convertitur, calor actionum ſtimulus minuitur, quo ipſo rerum occaſiones negliguntur, corpora debilitata & laboribus fracta itineribus faciendis inepta ſunt. Sed media a 30. ad 60. annum. *Hippol. tract. de concil. & conſil. Dur. de Paſcol. d. l. reg. 236.*

18. Acquiſitum ſubſidium, uti diximus, eſt eruditio, ſeu ſcientia & prudentia, quâ ex omnibus artibus & diſciplinis hauſtâ integrè ornatum conſiliarium optaremus: Sed quia res vix ſperanda, in neceſſarijs ſaltem, puta in Theologia, Iuriſprudentia, Philoſophia practica & oratoria ut benè formatus ſit, ipſa neceſſitas flagitat. *vide latè Alth: c. 22. Hippol: d. l. & alios pleroſq;.*

19. Officium conſiliarij eſt, dare conſilia magiſtratui, quæ cum ipſi, tum toti Reip: ſint utilia & neceſſaria. Quod officium nunquam rectè præſtabitur niſi ab eo, qui 1. Syncero

amore

amore & pietate debitâ magiſtratum & Rempl: præcipuè proſequatur: 2. Sit vir bonus, famâ & vitâ integer, juſtus, ſtatim in limine conſilij odium in adverſarios, gratiam erga amicos, pervicaciam & arrogantiam ex ſe ipſo exuens, & privatos omnes affectus deponens: *Dur: de Paſc. in Aul. pol. reg. 31. 81. 82, 83. 161. 162. 211. 215. & ſimil.* 3. Sit præditus animo magno & forti, ut ad omnes caſus ſtet immotus. 4. Verax, linguæ apertæ, perſpicuæ tamen, candidæ, brevis & tardæ, à qua longè abſit audacia & immodeſtia, ut & fœdiſſimum crimen adulatio, 5. cognitionem habeat univerſæ Reip: ratione provinciarum, civitatum, oppidorum &c: ut & naturæ magiſtratus, ſubditorum, reliquorum collegarum, & vicinorum, item controverſiarum in ea Rep: motarum. 6. diligens ac taciturnus, qui omnia ſecreta habeat, nec quicquam ſibi concreditum divulget. *De his latè Hippol, d. tract. Alth. d. loc Keck. 1. Syſt. 7. Arniſ. 1. pol. 15. Thol. 24. de Rep: 6. & alij.*

20. Utrum autem conſiliarius tam diligens eſſe debeat, ut etiam non requiſitus Magiſtratui, ubi res poſtulat, conſilium ſubminiſtrare teneatur? maximus inter politicos conflictus eſt. *Serſerus in diſp: pol. de conſil:* putat perinde eum facturum ac ſi medicus non vocatus ad ægrotum ſe intruderet. Contra vero exiſtimârunt alij, in rebus magni momenti, poſtulante neceſſitate, eum, quid ſibi videatur etiam non rogatum Magiſtratui ob bonum publicum denunciare debere: *Hippol. d. tract. Hæn. d. diſp. th. 37.* Ab horum ſententia non recedimus, quia Magiſtratus ſæpiùs nihil quicquam novit de negotijs, quæ neceſſariò expedienda ob intolerabilem negotiorum multitudinem, quibus gravatur: vanum ergo exſpectare donec ipſe de rebus ſerijs ad Remp: pertinentibus ſermonem injiciat: & nihil à conſiliario magis eſt alienum, quam magiſtratui tanta in Charybdi laboranti, manum detrahere. Prudens tamen hic rem prius ad exactam trutinam perpendet, & circumſtantias, an tempus locus & rerum ſtatus id permittant, an res oportunius differatur, ſerio advertet.

21. Ejuſdem difficultatis eſt & ille, an ſi conſiliarius in conſiſtorio conſilium aliquod tractatum iri ſciat, cui ſalvâ conſcientiâ adſentiri

adſentiri nequit, eo die domi, ſine reprehenſione & officij neglectione; manere poſſit? Neg: quia boni conſulentis eſt ſemper in ſenatum venire, *ut ait Cic. pro domo:* nec eſt quod ex longinquo ratio petatur, ipſa officij & vocationis regula ſuggerit, quod ideo vocatus & conſtitutus ſit, ut ad conſultationes veniat, nec quærat effugia & diverticula, etiamſi periculoſiora inſtent negotia: Nam non eſt militis nomine dignus, qui ob evidens aliquod periculum certamen detrectat & fugit: potiùs ergo ſe tum ad juvandam Remp: accingat, contra pietatem & honeſtatem propoſita ſolidis argumentis refellat, aut contrariâ ſententiâ concluſâ, moneat nihilominus Principem & pro Rep: proteſtetur. *Hipp. & Betſer. dd. ll. Keck. indiſc. pol. de Conſil. q. 7. p. 548.*

22. Sunt tamen nonnulli, qui exiſtiment, quod in tali difficultate conſiliarius, qui priorem ſententiam non probat, tacendo vel capite abnuendo muneri ſuo ſatisfaciat; ſed non ſine magno falſi vitio: quia ideo conſiliarius officium cum juramento ſuſcipit, ut ſincerè & fideliter quod ſentit, non taceat, ſed clarâ voce denunciet, & argumentis validisq; rationibus muniat. Si igitur ſecus facit, officium & conſcientiam violat, Deoq; ipſi, cui ſe juramento obſtrinxit, criminis reum ſe conſtituit: Quin imò ne conſvetudine quidem permittente, aut Principe ſciente vel volente id ei licebit: quia Deo ipſi, judici æterno, de officio fideliter obeundo, ſacramentum dedit quod per conſvetudinem, quæ ab hominis voluntate proficiſcitur, abrogari nequit: præterea ad munus id, non ſolius Principis, ſed & Reip: providendæ cauſa vocatus eſt: Licet igitur argui non poſſit reus injuriæ factæ Principi volenti & ſcienti: illam tamen inferret Reip: cujus cauſas deſereret. *Vide prolixè Gabr. Palæot. de conſult. S. conſiſt. pag. 2. q. 10. Hipp. d. l.*

23. Diſtribuuntur porro conſiliarij in ordinarios, & extraordinarios.

24. Ordinarij ſunt, quorum conſilijs magiſtratus ſemper aut ſaltem ſæpiùs utitur.

25. Suntq; vel politici, qui ſuis conſilijs dirigunt negotia civilia, vel in aulis, unde aulici, vel in curijs, unde curiales vo-

 cantur:

cantur: vel Eccleſiaſtici, qui res ſacras & divinas ſuis conſilijs dirigunt & promovent.

26. Extraordinarij ſunt, quorum conſilijs magiſtratus non ſemper utitur, ſed tantum urgente gravi aliqua neceſſitate.

27. Hi ſunt vel in regno, quibus præcipuè utitur Princeps in dirimendis littibus provincialibus, unde & Landräht dici ſolent: Vel extra regnum; quibus in exteris nationibus habitantibus Princeps utitur ad conſilium dandum de certis quibuſdam cauſis, quas aliunde cognoſcere oportet: Unde Germani noſtri vocant Räthe von Hauß auß / *vide de his omnibus fusè Thol. 10. de Rep: 3. Antimach. l. 1. theor. 3. Keck. 1. pol. 7.*

28. An conſiliarij Xenia oblata accipere poſſint? non minus rectè quam eleganter hoc loco quæritur. Et commodè occurrit illud *Ulp. in l. 6. §. 3. ff. de offic. proconſ.* quod valdè inhumanum ſit, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum: Laudamus igitur illos, qui à privatis & pauperibus nihil, inprimis juſtitiæ promovendæ cauſa, ſed à Principibus oblata, gratâ mente accipiunt: deteſtamur eos, qui juſtitiam & veritatem vendunt: Manus enim integras habere à muneribus conſiliarij debent, ſolent namq; ea demulcere & propenſiores reddere homines & excæcare etiam oculos juſtorum & pervertere cauſas proborum. *Thol. 1. de Rep: 6. n. 16:* unde rectiſſimè *Caſſiodorus:* Gladius conditur, ubi aurum ſuſcipitur. Et *Ephialtes* ne ab amicis quidem accepit, veritus ut vel contra jus aliquid gratificaretur, vel ſi id non faceret, ingratus videretur. *Æl: lib. 11. Var. hiſt. c: 9.*

29. Hucusq; de primo conſilij membro, nempe conſiliario ſatis egimus, ſuccedit alterum, videlicet Princeps vel magiſtratus, qui ſententiam rogat: Non enim ſufficit rectè conſulere, niſi ſit qui recta illa conſilia amplectatur. *Hæn. d.d. 4. th. 41.*

30. Officium Magiſtratus hac in re conſiſtit in tribus: 1. in conſiliariorum electione & admiſſione: 2. in rogatione & conſultatione: 3. in deliberatorum probatione & executione.

31. In electione magnum judicium adhibendum, ut digni, prædictisq; animi & corporis præſidijs inſtructi eligantur & admittantur, corporali juramento præſtito, ſe ſententiam dicturos & con-

& conſulturos de his, quæ ſibi meliora & utiliora videbuntur, adjectâ ſimul, cùm promiſſione præmiorum, ſi benè officio ſuo functi fuerint, tùm comminatione pœnæ, ſi ſecus: *Keck. d. loc.* & *antè eum Alth. in pol. c. 22.*

32. In rogatione & conſultatione ſeqq: inprimis Magiſtratus attendat: 1. ut maturè conſiliarios conſulat, & niſi extremâ aliquâ neceſſitate urgente conſultationem non præcipitet: Nam gladiatorum eſt; non Principum; conſilium in arena ex tempore capere: *Lipſ. 3. pol. 8.* Quare ſatis temporis ijs ad diſquirendum cogitandumq́; det, ne de rebus ſæpè ingentibus incogitati dicere cogantur: Ideo *Thom. Morus lib. 2. de Magiſtr.* conſultum putat, ut nihil, quo die primum in ſenatu quid proponitur, eodem die diſputetur, ſed in ſequentem differatur ſenatum, ne quis, ubi quod in buccam primô venerit, temerè effutierit, ea poſteà excogitet, quibus decreta ſua tueatur, malitq́; ſalutis publicæ, quam opinionis de ſe jacturam facere. 2. ut libertatem judicandi, conſulendi, dicendi, nulli conſiliario adimat, ſed patienter ſententiam quamvis liberam audiat, ne veritas reticeatur: *Alth. Keck. Hypp. ſæpè dd. ll. Iun. q. pol. 2* 3. ut ſe à conſiliarijs huc modô, modô illuc abripi non patiatur, nec uni tantum addictus & obnoxius ſit, ad cujus nutum omnia gerat contemptis cæteris: *vide Richt. ax. pol. 92. Camer. in medit. hiſtor. 2. p. 9.* Si tamen uni ex conſiliarijs potiſſimum addictus ſit, aut quem præ alijs magnifaciat, id ne oſtendat, ob maxima incommoda quæ inde promanant, de quibus *Antimach. lib. 1. theor. 2. Anth. de Guevar. lib. 3. horol. Princ. c. 58.* Sed ita potius ſe gerat, ut videatur omnes conſiliarios æquè æquales habere, & omnibus æquè favere: *vide Thol. 24. de Rep: 7. Bodin. 2. de Rep: 5. Keck. in diſcurſ. de conſil. q. 4. Hæn. d. d. 4. th. 45. 46. & plæroſq́; alios latiùs hæc omnia tractantes.*

33. Sicco, quod dicitur, pede præterire hic non poſſumus illud, quo inveſtigatur, an conſiliarius etiam ullo poſſit modo à data ſemel ſententia recedere? Et licet conſtantia vel maximè in conſiliario requiratur, ita ut unum habeat calamum, unam linguam, non plures, & ſit immobilis, ut lapis angularis & ſicut polus in cœlo, *ut ait Duar. ad l. nemo poteſt 75. n. 3. de R. I.* tamen

 omni

omni ratione etiam videndum, ne ex conſtantia pertinacia fiat: & oportet illam conſtantiam eſſe cum prudentia conjunctam. Jam autem conſtantiæ prudentis eſt ex cauſa ſupervenienti mutare conſilium, quia præſtat in melius mutare, quam in malè cœptis pergere, & præſtabilius recurrere è medio curſu, quam malè currere: Dementiſſimus ergo eſt, qui pertinaciter in errore perſiſtit. nam, *ut inquit Senec. epiſt.27.* conſilia rebus aptantur, res a. noſtræ feruntur, imò voluuntur, quare conſiliũ ſub die naſci debet, oportetq; eos qui in Reip: navi ſedent, tanquam in talorum jactu, ad id, quod acciderit, res ſuas aptare, qualiter idcunq; ratio duxerit. *Plura vide apud Keck. diſcurſ. de conſil. q. 8. Gerhard. decad. 4. qq. pol. 6.*

34. In deliberatorum probatione officium probi magiſtratus erit, ut conſiliariorum vota diligentiſſimè attendat, & quod eorum utilius & melius, cognoſat: quale eſſe putabit id, quod ad finem & ſcopum honeſtum & Reip: ſalutarem, non tantum directum eſt, ſed & media legitima, vires & potentiam magiſtratus non excedentia oſtendit. Et quidem ad dignoſcenda conſilia perquam utile ei erit, ſcire quæ per ipſius ditionem fiunt, omnia, ne illi à malè conſulentibus imponatur: interim tamen ſedulò cavendum, ne delatoribus nimis facilem aurem præbeat. *Antimach. de regn. adm. theor. 3. Hypp. d. ſæpè tract.*

35. Ex eo quod Principem diligenter vota obſervare jubemus, hæc exultat συζήτησις, an is omnibus conſultationibus intereſſe debeat? ad quam varij variè reſpondent: nos breviter eum intereſſe debere putamus, non ſolum ideo, ut ex aſſiduitate conſiliorum & conſvetudine agitationis ipſe fiat prudentior & ſapientior, ſed & inprimis, ut majori cum diligentia, fide & autoritate, eo præſente, loquente & auſcultante peragantur omnia, minus improbi & corrupti in ejus præſentia plus audentes meliùs conſulant, fideliùs & diligentiùs negotia diſcutiant, rixæq; & factiones impediantur. Quare rectè & regiè Jacobus M. Britanniæ Rex filium ſuum Henricum *in Dono regio* monet his verbis: A CONSILIIS SECRETIORIBUS RARIUS ABSIS. *vide Thol. 21. de Rep: 5. Alth. d. ſæpè c. 32. Keck. d. diſcurſ. de conſil. q. 5.*

36. Parum

36. Parum autem eſt obſervata eſſe reſponſa, niſi probata vim & effectū conſequantur, quare ſi illa magiſtratui ſatisfecerint, executioni mādabit, ſin minus amplius deliberabit, & conſultationē denuò inſtituet, aut ſecū ipſe pleniùs ſtatuet: *Alth. Keck. Hypp. dd. ll.*

37. Quod ſi tamen unius aut alterius conſilia ſequatur, quæ male cadant, cum pœnæ metu non terreat. Nam qui conſilia dat, præſtare fidem debet, non eventum, & ſæpè optimè cogitata peſſimè cadunt. Laudanda ſunt magis conſilia cauta cum ratione, etiamſi non ſuccedant, quam fauſta eventu quidem, ſed temeraria & ratione carentia. Hinc *Mach. lib. 1. de Rep: c. 13.* prudenter commendat Romanorum conſvetudinem, qui non puniverunt eos, qui in rebus gerendis capiendisq; conſilijs erraverint, ne tum quidem, quando eorum conſilia multa Reip: malū peperiſſent: Quia exiſtimaverunt eos, qui fortunæ adverſitate rem minus feliciter geſſiſſent, ipſius rei dedecore atq; pudore jam ſatis punitos, nec alijs pœnis eſſe deterrendos.

38 Illud minimè prætereundum, conſilij expeditiſſimi eſſe in majoribus Rebuſp: ut plura concilia, officio, negotijs & miniſtris differentia conſtituantur, exemplo Hiſpanorum, ubi 7. conſilia totidem curijs ſejuncta habentur: 1. Quæſtorum: 2. militare. 3. Annonarium. 4. juriſprudentum. 5. criminale. 6. cenſorium. 7. ſummum. *Hipp. d. tract.*

39. Sequitur tertium & poſtremum in conſilio obſervandum: nempe res, de quibus in conſilio vel conſiſtorio magiſtratus & ſenatu deliberari debeat, quæ ſunt illæ, quæ ad ſummam Reip: vel ipſum ſtatum pertinent, & concernunt vel religionem, vel ll. vel Magiſtratus, vel bellum, vel pacem, vel fidem & ſecuritatem publicam, vel fœdera ineunda aut tuenda, vel fines imperij regendos, vel magnatum controverſias, vel legationes aut ſimilia negotia *Bodin. 3. de Rep: 1* Et finis conſiliorum, qui ſit Dei gloria, Magiſtratus ſeu Principis & Reip: ſalus. *Hœn. d. d. theſ. 51. 52.*

40. Hactenus de adminiſtris conſiliarijs, ſequuntur officiales, qui Magiſtratui publicè in certa aliqua functione ſui uſum & operam exhibent: De quibus ingenere notandum, quod

uni multa officia commendanda non ſint, nam & ipſa natura unum ad unum ordinavit, *teſte Ariſt.1.pol 2.* & rectè *Toloz.4.de Rep.6.* inquit, ſi unus officiarius plurium vices occupet, præcluditur cæteris via ad honores, ex quo multa incommoda oriri poſſunt.

41. Eſt a. officialis vel apertus vel occultus: apertus rurſum vel ſuperior vel inferior.

42. Superior eſt, qui ad ſuperiorem Reip: curam adhibetur, quales ſunt Cancellarius, præſides, præfecti provinciarum ac tribunalium ſeu judiciorum. *vide Keck. 1. Syſt. 7.*

43. Inferiores ſunt, qui ad inferiorem aliquam Reip: curam adhibentur: Eorum officium in his partibus verſatur, 1. in obſequio, ut ſint prompti ad parendum mandatis à magiſtratu ſibi impoſitis. Durus de *Paſc. in aul. pol. reg. 12.* 2. in modeſtia, ut ſuo ſe pede, non magiſtratus excellentiâ metiantur, & quicquid agunt, ſine jactantia agant ad declinandam invidiam, & ſuperbiæ crimen & fortunæ luſum. 3. fidelitate ut mandata magiſtratus, aliaq; negotia ſibi commiſſa absq; omni dolo ſedulò & maturè exequantur. 4. patientia, ut injurias aliorum æquo animo tolerare ac perferre queant: rectiſſimè namq; *Senec. lib. 2. de ira* ſcribit de veterano quodam aulico, quod interrogatus, quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet ſenectutem, reſponderit, injurias ferendo & gratias agendo. 5. in perſpectione, ut ſcil: ſint cauti, habeantq; frontem apertam, linguam parcam, mentem clauſam, & intellectum acutum, propter inſidiatores & hoſtes, qui, *ut loquitur Tacit: lib. 1. hiſtor.* ſecretis criminationibus infamant ignarum. *vide Lipſ. lib. 3. civ. doctr. 11. Caſm. in vit. pol. c. 25.*

44. Inferiores diſtinguuntur variè, partim ex officiorum, partim ex locorum diverſitate: Ex officijs alij ſunt quæſtores, alij præfecti urbium & pagorum, alij ſcribæ, alij ſatellites, alij curſores. Ex loco, alij ſunt urbani, alij pagani.

45. Reſtat miniſter occultus, quo magiſtratus tectè & clam utitur, & explorator dicitur. Non hic intelligimus talem exploratorem, quo magiſtratus utitur apud exteros, vel tempore belli, de quo ſuo loco, ſed eum, quo utitur ad regni inquilinos &

membra-

membra, & quidem Reip: ſtatu benè compoſito, aut ſanè extra belli aleam conſtituto. *Keck. 1. pol. 7.*

46. An tali occulto miniſtro magiſtratus uti queat? ſollicitè diſputant Dd. politici. Affirmantibus adſiſtimus, moti inprimis ratione illa, quod oporteat Principem ſcire quid agatur inter ſubditos, quid illi moveant aut non: Et oportet periculis ſeditonum maturè occurri, præſertim cum populi natura ſit inconſtans & mobilis & difficulter ferat ſuperiorem: *Lipſ. 4. pol. 10.* Rationi huic adjungunt ſacræ ſcripturæ autoritatem *Eccleſiaſt. c. 10. v. 20. 2. Sam. 18.* Verumenimvero quia res eſt valdè periculoſa, duæ cautiones notandæ: 1. ut res tota clam & ſecretò adminiſtretur, ne animadvertant ſubditi Principem ullis exploratibus uti: 2. ne princeps exploratoribus ſubditos accuſantibus facilè credat, aut ullum condemnet & puniat hac ſola ex cauſa, quia ab exploratoribus delatus eſt, eum qui defert accuratè examinet, imo non credat quidem homini ipſi, ſed rem totam ac ſingulas circumſtantias exactè ponderet pro ſua & Reip: ſecuritate. *Caſ. 5. ſp. cr. 11. Toloſ. 32. de Rep: 4.*

ΠΑΡΕΡΓΑ ex lib. 2. Inſtit. Imp. tit. 15. ad 20.

1. Subſtitutionem vulgarem in unum caſum factam, ſi heres eſſe noluerit, ad alium, ſi heres eſſe non poterit, extendi debere non credimus.

2. Subſtitutionem vulgarem, ſi minor inſtitutus qui adijt, poſtea abſtineat ſe per reſtitutionem in integrum, convaleſcere putamus.

3. Et expreſſam & tacitam pupillarem ſubſtitutionem excludere matrem adeò ut ne quidem de inofficioſo conqueri poßit, ducimus.

4. Filio

4. Filio inſtituto hereditatem repudiante ſubſtitutum non patrem admittendũ dicimus.

5. Heredi ut indigno hereditate ablatâ, fiſcum ſubſtituto præferre erubeſciumus.

6. Mulierem; ad ſecunda vota tranſientem, exemplariter ſubſtituere poſſe credimus:

7. Teſtamentum nativitate poſtumi ruptum, virtute clauſulæ codicillaris ſuſtinere non poſſe remur.

8. Filio juſtè exheredato & à quarela excluſo, nepotem ex ſua perſona ad quarelam admitti credere non poſſumus.

9. Legitimam, uti hereditatis titulo relinquitur, ita hereditatis petitione petendam ſtatuimus.

10. Parentum legitimam auctam quoq; eſſe ex: cauſ. defendimus.

11. Actionem ad ſupplendam legitimã 30. tantum annis excludi arbitramur.

12. Spurio herede inſtituto fratribus quærelam non concedimus.

13. Filium repudiatâ hereditate legitimã accipere poſſe non admittimus.

14. Ob inventariũ non confectum legitimã non amitti, cum communi minimè ambigimus.

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO NONA

DE

LEGIBUS IN GENERE, ET IN SPECIE EARUM SANCTIONE.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit: 20.& ſeqq. ad finem lib: 2. Inſtit. Imp. deſumptis.

Quam

ANNUENTE DIVINA CLEMENTIA

IN ALMA HAC ROSARUM ACADEMIA,

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PRO VIRIBUS DEFENDET

HENRICUS BESELIN

Roſtochienſis.

Ad diem 20. Julÿ.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Clariſsimo, conſultiſsimo, prudentiſsimoq́;
viro,
Dn. THOMAE LINDEMANNO,
J. U. D. & Academiæ patriæ Profeſſori celeberrimo,
affini ac fautori meo chariſsimo.

UT ET

Clariſsimo, præſtantiſsimo, excellentiſsimoq́;
viro,
Dn. NICOLAO SCHARFFENBERGIO,
J. U. L. meritiſsimo, amitino meo ſvaviſsimo,
haſce ſtudiorum primitias, conſecro &
offero.

HENRICUS BESELIN
Reſp.

DISPUTATIO IX.

DE LEGIBUS IN GENERE, ET IN SPECIE EARUM SANCTIONE.

THESIS I.

DE cauſis adjuvantibus & q. inſtrumentis adminiſtrationis Magiſtratus ſuperiori conflictu tractavimus: Succedit in præſentia ipſa norma ac forma adminiſtrationis, nempe lex, quæ eſt, anima ac Spiritus civitatis, civilium controverſiarum norma, & regina omnium divinarum, & humanarum rerum. *l. 2. de ll.* libella & linea, quâ Magiſtratuum affectus cohibentur, ut non ex arbitrio ſibi fingant æquitatem, ſed omnem controverſiarum nodum hoc velut enſe recidant. *A. Fab. in Iuriſp. Pap. ad tit. de Iuſt. & Iur. pr. 2. illat. 6.* Unde & tam neceſſaria in Rep: quam in corporibus noſtris mens: Quemadmodum enim architecti ſine libellâ & lineâ nil proficiunt, aut nautæ curſum navis tenere non poſſunt ſine ferro, quod affricuit Siderites, ita nec imperantes ſine hac normâ. *Schonb. 3. pol. 1.*

2. Unde facilè apparet; quid ſtatuendum de illa quæſtione, utrum; Reſp: melius ab optimo rege, quam optima lege adminiſtretur? *Thom. Mor. in ſua Utop:* non ll. ſed judicis arbitrio omnia peragi melius eſſe autumat: Quæ eadem ſententia quoq; adſcribitur *Bart. in l. præſenti C. de his qui ad Eccleſ. per illam l.* Cui quidem ex parte accederemus, ſi magiſtratus, nullis pravis affectibus & perturbationibus obnoxij prudentiſſimi ſemper, atq; adeò abſoluto intellectu & voluntate præditi haberi poſſent, qui ll. non egerent, ſecundum quas judicarent: Sed quia tales non dantur, & facilius invenitur unus prudens ad ferendas ll. perpetuas, quam multi ad juſtè pronunciandum: hinc veriſſimè. *Ariſt. 4. pol 4.* ſine ll. ait Remp. ſtare non poſſe. Adde & rationem hanc quod illo modo varijs multorum judicijs conturbaretur jus, dum aliud

alij juſtum videretur: Detrimentoſum autem eſt, quod nullus ſanus negabit, non omnes ſubditos eodem uti jure. Quin & licet prudentiſſimi eſſent Magiſtratus, adhuc ll. opus erit, ut voluntas majeſtatis à ſubditis cognoſcatur, alioquin extra culpam futuris, cum ignorantiam, quæ in noſtra poteſtate non eſt, excuſare putet *Acciajol. ad c. 1. lib. 3. Ethic.* Quare longè tutius ex l. quam arbitrio judicatur, quod turbiti motus arbitrium corrumpunt, qui nulli ſunt in l. *Ariſt. 3. pol. 10. & 15. Caſ. 3. Sphær. 11. Keckerman. 1. pol. Syſt. 6. Arniſ. 1. pol. 18.*

3. Ejuſdem planè farinæ eſt illa, an ſecundum ll. an vero pro arbitratu ſine ll. imperare debeat Princeps. Lex enim ſine Magiſtratu nequit cōſiſtere, neq; hæc ſine illa: ideoq; utriusq; conjunctionem neceſſariò concludimus cum ſolone qui præclare *apud Stob. ſerm. 41.* ait. Tunc demum Reſp: ſalva erit, cum cives magiſtratui, magiſtratus v. legibus obediat: *Picol. gr. 10. phil. mor. c. 19.*

4. Eſt autem lex, regula eorum, quæ ad ſalutarem regni adminiſtrationem pertinent: regula, inquam, vel faciendorum vel omittendorum: vel ut definit *Papin. l. 1. ff. de ll.* commune præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum, quæ ſpontè vel ignorantiâ contrahuntur coërcitio, communis Reip: ſponſio. *junge l. 2. eod.*

5. Ea in genere eſt vel divina vel humana.

6. Divina; à Deo ipſo lata; eſt vel moralis, præcipiens, qualis unuſquisq; eſſe debeat in moribus internis & externis, ut tota vita conformis ſit cum voluntate Dei: Et ejus ſumma comprehenditur in Decalogo *Exod: 22.* Et ab hac l. morali jus ſeu l. naturæ; nomine, non re differt: quare & ea perpetua eſt, eiq; hodiè omnes purè etiamnum adſtricti ſunt. *Alth. c. 16. polit.* Vel ceremonialis, quæ ad certum tempus populo Iſraëlitico tantum præſcripta fuit & adventu Meſſiæ eſt abrogata. *Gal. 3. 24. Coloſ. 2. 16. Epheſ 2. 15.* Vel forenſis ſeu judicialis, præcipiens de gubernatione politica in populo Judaico, hoc eſt, de ordine & officijs Magiſtratuum, judiciorum, pœnarum, contractuum, diſtinctione dominiorum in hunc finem lata, ut juſtitia inter cives & tranquillitas publica vigeant & ll. Dei à contemptu vindicentur. *Levit. 24. 16. Deut. 13. 5. Hæn. d. p. 1. th. 13.*

7. Legum

7. Legum forenſium quædam præcipiunt de rebus immutabilibus, & omnium gentium communibus: quales res ſunt delicta moralia contra decalogum admiſſa, ut homicidium, adulterium, ſeductio à vero Deo, blaſphemia, percuſſio parentum &c. Quædam de rebus mutabilibus & Judaicæ gentis, ejusq; politiæ proprijs, ut fuerunt; emancipatio ſervorum ſervarumq; Hebræarum anno 7, conjugium cum vidua fratris cognative defuncti absq; prole maſcula, condonatio mutui in anno jubilæo, conjugium cum muliere ejuſdem tribus. *Zach. Urſin. part. 4. explic. Catech. VVilhelm. Zepper. in tract. de ll. Moſaic. lib. 1. c. 12. & paſſim: Althuſ. c. 17. polit. ex Luther. Tom. 1. VVittenb. Lat. fol. 435. Melanch. in loc. com. loc. de conjugio, Calvin. lib. 4. Inſtit. c. 2. ſect. 15. & alijs.*

8. Ex hac diſtinctione rigida illa controverſia, an ll. judiciales Moſaicæ in totum hodiè abolitæ ſint, an adhuc in N. T. Chriſtianos ſtringant? facilè deciditur: poſterioris enim generis abolitas dicimus & concedimus libenter, prioris vero; abrogatas minimè credimus, cum Dd. antè *alleg.* Quicquid etiam *Dan. lib. 5. pol. 2. circa fin. Schonb. 3. pol. 1. & plerīq; ICti* pro totali abrogatione adferant.

9. Lex humana dividi poteſt in communem & propriam

10. Communis eſt vel hominum & brutorum animalium ſimul, vel hominum tantum.

11. Communis hominum & brutorum ſimul, eſt jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, erumpens ex Principijs naturalibus: ut eſt maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio & educatio *§. 1. ubi Dd. I. de I. N. G. C.*

12. Communis hominum tantum; Jus gentium dicitur, quia ſcil: ſolis & omnibus hominibus convenit. *l. 1. ff. de I. & I.*

13. De jure hoc gentium, an ſimplex tantum ſit an duplex, primævum & ſecundarum, vel, quod idem, antiquum & novum? acriter quæritur: poſterius affirm: moti 1. ex diverſis ejus iuris definitionibus *in §. 2. & 5. I. de I. N. G. C.* traditis. Notum autem ex Logicis eſt, unius rei diverſas definitiones eſſe non poſſe. 2. diverſa appellatione, nam primævum dicitur à JCto ANTIQUUM *l. 1. de A. R. D.* & 3. potiſſimum principijs duorum illorum jurium quæ diver-

 ſiſſima

ſiſſima planè eſſe exempla *in l. 2. 3. 4. 5. 6. ff. de I. & I:* demonſtrant. Primævum enim eſt à principijs divinis, vel à recta naturaliq; ratione: veluti Deum colere, parentibus & patriæ obedire: Nam ea à nullo alio proficiſcuntur, quam mente & ratione divinâ. Secundum vero ab externis & civilibus principijs oritur, quia arte non natura conſiſtit, verum à JCtis ideo Gentium appellatur, quia omnibus ut plurimum gentibus commune eſt, ut dominiorum diſtinctio, commerciorum & bellorum ratio, conſtitutiones civitatum: Nam ea & ſimilia uſu ubiq; exigente & humanis neceſſitatibus requirentibus introducta ſunt. *l. ex hoc jure ff. de I. & I. §. jus a. I. d. t. de. I. N. G.* Quicquid etiam contrarium ſtatuentes, & inter eos acerrimè *Coraſ. 6. miſcel. ult:* diſputent.

14. Propria ſeu civilis & politica eſt, quam quælibet civitas ſibi propriam conſtituit, & trahit ut plurimum originem à principijs externis, videlicet, cum vel natura loci, utilitas, ratio aliæq; circumſtantiæ ſic exigunt: vel affectio legislatoris & voluntas: unde etiam commentitium jus dicitur *l. ſi pœna 20. de pœn.*

15. Politica hæc l. eſt de regno vel ineundo, & dicitur l. regni fundamentalis: *de qua ſupra diſp. 5. th. 18. 19:* vel regendo; & generali legis nomine continetur.

16. Dividitur lex vel in univerſalem, ſive manifeſtâ hominum voluntate & ratione rogata ſit, ſive conſvetudine introducta, de quâ latè tractant ICti: vel municipalem, quæ certis municipijs & civitatibus permittitur, vel à Principe, vel conſvetudine vel conſtitutione propria. Et harum ea vis & poteſtas eſt, ut in ſuis locis & territorijs derogent univerſalibus poſt inductis, & non habentibus clauſulam derogationis: quod tamen ſecus eſt in ijs municipalibus ll. quæ poſt imperialia ſtatuta, nec Principis voluntate, nec longæ conſvetudinis obtentu, ſed ſolo municipum arbitrio fiunt: Eas enim juri communi nihil detrahere manifeſtum eſt *ex l. prætor ait 3. §. Divus Hadrianus 5. ff. de ſepulch. viol.* ne ſcil. in poteſtate ſit, leges univerſales irritas & eluſorias facere. *Ioach. Hopp. de arte iur. lib. 1. tit. de l.*

17. Et hæc etiam obſervantur in ijs ſtatutis, quæ certis corporibus, curijs, collegijs, provincijs, auditorijs, familijs & alijs ejuſmodi irrogantur.

19. Porro

18. Porro cura legum politicarum conſiſtit in duobus: 1. juſtâ earum ſanctione, & præſcriptione: 2. Executione. Sanctionis iterum perpendenda, 1. cauſa efficiens: 2. materia. 3. forma. 4. finis. 5. effectus, 6. adjuncta. 7. contraria.

19. Cauſa efficiens ſunt Llatores, quales ſunt ij, penes quos ſumma rerum, ut eſt totus populus, in Democratia; optimates in Ariſtocratia, unus Princeps in Monarchia. E.C. Leges civiles Romanas primò condidit univerſus populus. *l. lex. Inſt. de I.N.G. C.* Dein & ſenatus cum poteſtatem accepit. *l. 2. §. deindè quia difficile 9. ff. d. O. I.* Tandem ſoli Imperatori permiſſum eſt, poſtquam poteſtas ſumma in eum translata, ſenatusq; autoritas immutata vel potius abſorpta fuit. *l. 1. de conſtit. Princ. l. tanta 2. C. de vet. jur. enucl. l. fin. C. de ll.*

20. Et hæc condendi ll. univerſalem poteſtas, non poteſt per Imp: in alium transferri, ſicut nec reliqua reſervata Imperatoris. *Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 4. verb: legem generalem condit.* Abſurdiſſimè igitur & impudentiſſimè Pontifex poteſtatem illam arripuit. *c. 1. de conſtit. in 6. c. per venerabilem. Qui fil. ſint leg. c. 1. extrav. de majar. & obed. clem. paſtoralis de ſent. & re jud. c. omnes d. 22. c. duo ſunt d. 96. c. cuncta 19. q. 3.* & evagatus eſt non ſolum extra juris civilis limites, *dd. textibus*: quibus adde *Nov. 123. c. 10. Nov. 105. in fin. Nov. 131. c. 3. Nov. 132. in pr. & c. 6.* ubi ipſe Papa ll. civilibus ſubjicitur, ſed & divini terminos. *1. Pet. 2. 13. Rom. 13. 1. Ioan. 18. 36.* Dum de facto multas conſtitutiones emiſit, quibus, quod deplorandam, etiam in imperio noſtro Romano Germanico uti cogimur, non tamen omnibus, nec uti pontificijs, ſeu quod ab autoritate & majoritate Pontificis ſint profectæ, ſed tanquam ll. noſtris & reſpectivè proprijs, quæ nobis ſunt propriæ factæ propter Principum noſtrorum autoritatem, approbationem & adſenſionem.

21. Illud hoc loco tacitè præterire non poſſumus, quod abſoluta illa ll. univerſales condendi poteſtas, in Imp: hodiè certo modo circumſcripta ſit, conſtitutumq; ut illas condat Imp: cum aſſenſu & conſilio ſtatuum Imperij: mit den Ständen des Reichs/ unde & ll. in comitijs Imperialibus conditæ, vocantur receſſus Imperij: ſeu comitiorum des Reichs abſcheide. Illa tamen circum-

ſcriptio

ſcriptio poteſtatem d: planè non tollit: & eâ nihil obſtante, ll. latæ ſoli Imp: non abſurdè adſcribi poſſunt; quia ipſe principaliores potioresq; in hac legislatione partes obtinet: frequentiùs autem ſpectatur id quod principalius eſt. *Schonb. 5. pol. 11.*

22. Ad ſimilitudinem Principis ſummi, inferiores in Imperio noſtro dignitate principali illuſtres, quia in provincijs ſuis Imp: repræſentant, cum conſenſu itidem ſuperiorum ex nobilitate & majoribus civitatibus ejus provinciæ, *arg. l. quod ſemel ff. de decr. ab ord. fac. l. nulli l. planè ff. quod cujusq; univ. nom. l. quod major ff. ad munic. l. nominationis C. de decur. Nov. 133. cap. 34.* vigore ſuperioritatis, Krafft Landsfürſtlicher Obrigkeit/ quæ ipſis ratione territoriorum competit, ſpecialem & localem legem condunt, jura & conſtitutiones provinciales, Hoff vnnd Landgerichts Ordnung promulgant, contrarias abrogant, novas ſubinde conſtituunt, quibus ſubditi etiam ſine aſſenſu Imp: ſubjiciuntur. *Matth. Coler. de proceſſ. execut. p. 1. c. 3 n. 6. & ſeqq.* Secundum quas Camera Imperialis obſtricta eſt pronunciare. *Ord. Camer. par. 1. t. 57.* Von des Keyſerlichen Cammerrichters vnnd beyſitzer Eydt: ibi, nach redlichen/ erbarn vnnd Ländiſchen Ordnungen/ Statuten vnnd gewonheiten der Fürſtenthumben Herrſchafften vnd Gerichte.

23. In genere in Llatoribus requiritur. 1. pietas, quia nihil boni proficiſci poteſt ab eo, qui religionem ſusq; deq; habet. 2. vitæ integritas, quâ ll. autoritatem addant; ne ſuis, exemplo Zaleuci de quo *Æl. lib. 13. hiſtor.* damnentur ll. caveant.

24. Pietatem dum requirimus, incidit quæſtio: Utrum Chrſtiani bonâ conſcientiâ, legibus civilibus, à majoribus, Ethnicis hominibus, latis uti queant? *Dan. 5. pol. 2.* diſtinguit: aut enim ll. illæ piæ ſunt & juſtæ, aut impiæ & injuſtæ, quales ſunt quæ idololatriam præcipiunt: poſterioribus impunè conſtringi non poſſunt cives Chriſtiani, ob ſacræ ſcripturæ autoritatem *Act. 4. 9.* prioribus quin teneantur nulli dubitamus 1. Quia mandatis Principum pietati & honeſtati conſentaneis obediendum eſt. *Ioſ. 22. 1. 2.* 2. quia Evangelium non abolet politias, *Matth. 22. 21. Marc. 12. 17. Luc. 20. 25.* 3. quia D. Paulus ex l. imperij Ethnica pulſatus, Cæſarem appellat. *Actor. 22. 8. adde Rom. 13.* Quin 4. ijs

utuntur;

utuntur; non ut Ethnicis ll. ſed propter approbationem & authoritatem Impp. Chriſtianorum ut noſtris. *Vide Dauth de teſtam. n. 8. & eleganter differentem Duar. in l. 1. ff. de pact.*

25. Materia ll. partim divinis & humanis rebus, partim publicis & privatis, partim perſonis & rebus finitur. Divinas dicimus, quæ ad religionis & divini cultus officium pertinent: Humanas, quæ ad commodum & utilitatem hominum; publicas, quæ ad ſtatum totius Reip. privatas quæ ad ſingulorum utilitatem & rationem referuntur: perſonas, veluti, cum de ſtatu & dignitate & conjunctione perſonarum quæritur. Res, ut cum de dominiorum diſtinctione & commercijs agitur. *l. de quibus 32. de ll. §. jurisprudentia §. fin. l. de l. & l. §. fin. l. de l. N. G. C.*

26. Neceſſe tamen omnino eſt, ut condantur de his quæ frequenter fieri ſolent: *l. 3. & ſeqq. ff. de ll. l. 3. ff. ſi pars hær. petat. l. 28. ff. de jud.* & negotijs futuris non præteritis formam dent. *l. 9. C. de ll. l. jubemus 29. §. quæſitum C. de teſtam.*

27. Forma ll. conſiſtit in ſeqq: ut 1. generaliter concipiantur, non in ſingulas perſonas *l. 8. de ll.* 2. ſint breves, quò facilius ab imperitis teneantur: unde rectè *Sen. ep. 95*, lex velut emiſſa divinitus vox ſit, jubeat non diſputet. 3. rationem, quæ ex intima philoſophia practica deſumenda eſt *teſte Cic. 1. de ll.* habeant, hæc enim earum eſt anima, *l. 17. ff. de ll. c. ſedulo d. 38*, & ubi ratio non eſt, ibi nec lex eſt, quia juſtitia eſt habitus animi, & quidem bonus, qualis eſſe non poteſt niſi quatenus ratione perficitur. *arg. c. conſuetudo d. 1.* Nec tamen ſuperſtitioſè inquirenda eſt l. ratio. *l. 20. cum ſeq. ff. de ll. l. ſi ita ſe §. f. ad l. Aquil. l. item 2. C. de crim. ſacril.*

28. An & ſcriptura ſit de ſubſtantia & forma legis vetus eſt quæſtio? Negamus 1. Quia Lacedæmoniorum ll. in ſcripturam redactæ nunquam fuerunt, *§. non ineleganter. I. de l. N. G. C.* quod & l. diſertè, ne fieret, cautum fuit: *Plut. in vit. Lycurg.* 2. quia Imp. dicendo legem condit. *l. 6. C. qui bon. ced. poſſ. 3.* quia *§. ſingulorum I. de R. D.* ait, cum ll. ſcribi cœperunt: unde evidenter conſequitur, ll. etiam antè fuiſſe quam ſcriberentur. Non tamen gravatè concedimus, ſcripturam de exiſtentia l. eſſe, eoq; facere, ut extenſis Reip. finibus, quemadmodum in Imp. Romano, in noti-

tiam ſubditorum pervenire poſſit. *Con. 1. comm. 7. n. 5. Don. 1. com. 13. vult. 1. Feu. 1. n. 4.*

29. De bonitate quoq; diſceptari ſolet, an ad l. eſſentiam requiratur? Et quamvis eam in omnibus ll. optemus, affirmativè tamen quæſtionem decidere vix audemus, quia ſi omnis lex juſtitiæ conſentiret, & bonitatem contineret, malè diſtinxiſſet *Ariſt. 5. Ethic. 1.* inter civem bonum & virum bonum: Et plurimæ ll. malæ extiterunt in Rebuſp: antiquis, ut Epheſiorum, nemo virtute excellens apud nos ſit: *Cic. 5. Tuſc.* Item L. Flacci, omnia Syllæ rata ſunto. *Cic. 1. d. ll.* Quibus adde pleraſq; 12. tabb. *Gell. lib. 20. c. 1.* Quarum multarum licet correxerint Impp: pravitatẽ non tamen omnem extinguere potuerunt: teſte ipſo *Ulp. l. proſpexit ff. qui & à quib.* & *Iulian. l. ita vulnero 51. ff. ad l. Aquil* Et multa per ll. licent, quæ honeſta non ſunt. *l. etſi quis §. Divus ff. de relig. & ſumpt. fun. l. non omne de R. I. vide Pet. Fab. ad jam modò d. l.*

30. Finis ll. cum toti us Reip: ſcopo ferè concurrit, ſpecialis tamen eſt, ut per eas homines retineantur in officio: nam improbitas hominum cauſam legum lationi dedit. Sicut n. antè morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quam remedia eorum: Sic cupiditates prius natæ ſint quam leges; quæ ijs modum facerent. *Liv. Dec. 4. lib. 4. Schonb. 2. pol. 4.*

31. Effectus l. deſcribitur *in l. 2. ff. de ll. & l. Divus 7. ff. de jur. patr:* quod vel ad obedientiam vel ad pœnam obligent; ut & *l. virtus 7. ff. d. t. de ll.* quod vel imperet, ſcil: neceſſaria, vel vetet, inutilia, permittat, media, vel puniat, id quod ſecus fit, quam l. vult: ſive id fiat contra l. veluti cum quis id facit, quod l. prohibet, ſive in fraudem l. cum vid: ſalvis verbis l. ſententiam ejus quis circumvenit. *l. contra 29. cum ſeq. ff. d. t.*

32. Effectum hunc ut ll. facilius & felicius ſortiantur, ſvadent non eſſe permittendum in Rep: ut aliarum civitatum ll. commendentur aut recitentur, exemplo Lacedæmoniorum qui ſuas ll. pertinaciſſimè obſervaſſe, Athenienſiumq; jura reprobaſſe leguntur *apud Demoſt. adv. Leptinem. Schonb. 2. pol. 5.*

33. Effectus l. an tam generalis, ut omnes teneat, an vero Princeps ſeu Magiſtratus ſummus exemptus, legibusq; ſolutus ſit? uti

uti celebris, ita nodoſa nimis eſt quæſtio: Ad quam diſtinctè reſpondebimus.

34. Et quidem primo extra omnem controverſiæ aleam ponimus, eum planè teneri, cum divinis, *Deut. 17. v. 18. & ſeqq:* (qui textus ſatis demonſtrat, quod 1. *Sam. 8.* caput non de gennino ac vero jure regis, ſed de facto uſurpato loquatur, *Aut. de jur magiſtrat. q. 6. VVilhelm. Zepp. de ll. Moſ. lib. 3. c. 8.*) *c. non licet 2. d. 10.* tum naturalibus & gentium legibus. *§. pen. 1. de l. N. G. C. l. 188. ff de R. I.* Quare pacta & contractus, ſive cum ſubdito, ſive cum non ſubdito, ſive cum privato ſive univerſitate vel communitate, ſive cum amicis ſive cum hoſtibus initos ſervabit: *l. 1. ff. de conſtit. pec. l. 1. ff. de pact:* non tantum naturaliter, verum etiam civiliter. *Ferdin. Vaſq: ill. qq lib. 1. c. 3. n. 1. & 2. Frid. Pruckm. de Reg: M. 2. c. 4. effect. 1. t. an Princeps obligetur pacto: ubi plurimos allegat.* Ratio eſt perſpicua, quia ex jureg: venit, quod Principe eſt ſuperius *Bald. in c. 1. §. notandum 5. n. 2. verſ. quia potentius, de his qui F. dar. poſſ. in uſ. Ff.* Inferior autem non poteſt abrogare l. ſuperioris: *Idem Bald. lib. 2. conſ. 76.* Niſi igitur ſervaret, fidem ſuam falleret, exiſtimationem læderet, ſeipſum omni commercio exueret, majoremq; quam Deus ipſe, qui ſuis promiſſis tenetur, poteſtatem ſibi arrogaret: Idem concludunt Dd. licet actus juris civilis, velut ſtipulatio intervenerit: *vide Vaſq: 1. ill. qq. contr. 1. n. 7.*

35. An & ex pacto & obligatione prædeceſſoris ſui etiam teneatur? non parum dubium: Nos, ſi modo illa obligatio non repugnet naturæ vel conſvetudini officij, eum teneri defendemus ſive electione ſive ſucceſſione magiſtratus factus ſit: ſive utilitatem inde perceperit ſive non. *c. 1. deprobat. c. quia juxta 16. q. 1. conſt. de pac. conſtant. ippr. v. hoc quodnos: & v. amplius.* Nemo enim eligit eam viam, per quam ab eo geſta irrita fiunt, conciduntq;: At ſi Princeps prædeceſſoris ſui contractus annihilaret, eligeret viam, per quam ejuſdem quoq; acta impugnarentur & everterentur. Accedit, quod nemo facto proprio contravenire poteſt: *Zaſ. de F. f. p. 10. n. 10.* Sed Princeps priorum Principum contractus reſcindens, proprium factum impugnat: Nam facta vel contractus demortuorum Principum hodierni Pricipis eſſe

 cenſen-

cenſentur: eadem enim ſemper eſt, *teſte Bald. conſ. 326*, Reſp: & perſonæ mutatio nihil minus principatum mutaſſe cenſetur, quam judicis, judicium vel tribunal. Natura inſuper ipſa vult, ut quem commoda ſequuntur, ſequantur quoq; incommoda, neq; audiendus is eſt, qui honorem & commodum quidem amplectitur, ſed onus ſubire recuſat. *Ioach. Clut. in Syll. theſ. 18. in fin. Richar. Dieterus. in diſp. ſua inaugurali de ſum. ſummi Princ. poteſt: Baſileæ habita theſ. 52.* ubi addit *theſ. 53.* quod donationes, ſi modum exceſſerint, aut in indignos collatæ fuerint, meritiſſimè revocentur.

36. Quantum ll. civiles attinet, non etiam dubitare licebit, teneri eum ll. fundamentalibus, quia ex cum majeſtate ſunt conjunctæ, & ijs abolitis ipſe ſtatus neceſſariò evertitur. *Aut. de jur. magiſtr. q. 6. Dan. 1. pol. 4. & 3. c. 6. Antim: 1. theor: Bod. 1. de Rep. 8. n. 88. Zoan. de Imp. Rom. n. 171. & 184. cum ſeq.* Ut & ijs ad quarum obſervationem publicâ cum ſtatibus Imperij initâ conventione ſe devinxit: *Schrad. de Ff. par. 10. ſect. 5. num. 185. & ſeqq. Mynſ. conſil. 24. num. 19.*

37. Controverſia igitur eſt de alijs quæ ſuperſunt (ſuperſunt autem quamplurimæ) merè civilibus & poſitivis ll. A quibus eum ſimpliciter & abſolute ſolutum credimus. *l. 31. ff. de. ll. l. 23. ff. de leg. 3. §. fin. I. quib: mod. teſt infirm: Nov: 105. c. 2. in fin.* Majeſtas enim à nemine ll. accipere poteſt; nec enim à ſuperiore, quem non habet, nec à ſe ipſa, cum ob liberam voluntatem cogere ſeipſam non poſſit, *l. 13. §. 4 ad SCtum T. rebel. l ſi ff. de recept. qui arbitr. recept.* Nec vero à ſubditis, quod abſurdius, cum illi ll. non dent ſed accipiant. *Bodin. 1. de Rep: 8. Arniſ. 1. pol. 11. Alb. Gentil. in diſp. Reg. 1. Varié diſſ. Dd. quos vide apud Treutl. 1. d. 1. th. 6.*

38. Hujus quæſtionis deciſionem eruditè & eleganter clariſs: Dnus. *Gothof. Anton. diſp. 1. apolog.* ad invictiſſimum noſtri temporis Imperatorem Romano-Germanicum trahit & adcommodat, docetq; quod & is etiamnum ll. ſolutus ſit: quia illa ſoluta poteſtas Impp. per l. Regiam olim conceſſa, nunquam vel tacitè vel expreſſè in totum adempta eſt: Ergo illis etiamnum gaudent: *arg l. 32. in fin. C. de appell. l. 27. C. de teſtam. l. 26. 27. & 28. ff. de ll.*

Accedit

Recedit quod Impp. noſtri plenitudine poteſtatis fruantur. *A. B. in præf. circa f. tit. 2. in pr. tit. 8. tit. 13. in fin. & tit. 16. Receß. Imperij de anno 149[illegible] de pac. publ. rubr.* Von Sachen / ſo ſich vor dieſem Landfrieden begeben haben / *aliis verbis*, von Römiſcher Königlicher macht / vollkommenheit vnd rechten wiſſen : *& multis alijs locis: plura argumenta, ut & contrariorum reſolutionem vide d. loco.*

39. Occaſione antè deciſæ quæſtionis, in mentem venit quæſtio; an lex Regia unquam lata ſit? *Con. 1. comm. 16. n. 3. Coraſ. 6. miſcel. 8. & de arte jur. lib. 2. c. 12. & alij* vel planè negant, aut certè non Regiam, ſed Rhemniam appellandam putant: Sed ſatis refutantur *l. 1. ff. de conſt. Princ. §. 6. I. de I. N. G. C. l. 1. §. 7. C. de jur. vet. enuc. l. 3. C. de teſtam. l. 14. ff. de manumiß.* in quibus ut & alijs juris civilis locis, tam dilucide illa l. Regia, à cauſa efficiente, objecto, effectis adjunctis &c. deſcribitur, ut eorum opinioni ſubſcribere nequeamus. *vide Per. Heig. ad §. 6. n. 8. de I. N. G. C.*

40. Quo autem tempore ſit lata & introducta, ob tot ea de re extantes diſputationes & orationes, ita dubium ait *Aram: exercit. 1. theſ. 8.* ut vix certi quid definiri queat. Auguſti tamen tempore eam latam fuiſſe communius autumant, probantq; ex *Tacito, Dione, alijsq; Hiſtoricis, & inprimis l. 14. §. 1. ff. de manumiß. vide Ar. d. loco.*

41. Ad adjuncta referimus, 1. numerum ll. ut nempe, quam fieri poteſt, paucæ, bonæ, generalesq; habeantur: nam fieri non poteſt, ut omnes articuli ſigillatim aut ll. aut SCtis comprehendantur *l. 12. ff. de ll.* Et ſi velis novis quotidie emergentibus caſibus novas ponere ll. perinde feceris, ac ſi tentes reſecare hydræ capita, quibus reſectis nova ſemper pullulant. 2. Interpretationem, ut ex his quæ primò conſtituta ſunt, ſi ſententia Llatoris manifeſta ſit; id juris ad ſimilia producatur, aut interpretatione, aut ſuppletione, aut ſupremi Principis conſtitutione *l. & ideo 11. cum ſeq. ff. de ll.* Si ambigua vox l. ſit, ea potius ſignificatio accipiatur, quæ caret vitio *l. 19. d. t. l. quoties 67. de R. I.* benignior ſemper præferatur ſententia *l. 18. l. 25. ff. d. t. de ll. l. ſemper 55. l. ea quæ 152. in fin. de R. I.*

42. Nobilis hic ſe prodit Interpp. diſceptatio: an judices

 ex æquo

ex æquo & bono ll. poſſint interpretari, an vero hoc ſolis Principibus reſervatum ſit? Prius ſub diſtinctione æquitati & juri magis conſentaneum eſt: *Aut* enim verba usq; adeò dubia ſunt, ut nihil planè ſit, ex quo voluntas Llatoris elici poſſit, ita ut non tantum de verbis, ſed etiam ſententia dubitetur, & tum ex æquo & bono interpretationi locus non eſt: *Aut* verba dubia quidem ſunt, ſed eorum talis eſt ambiguitas, quæ non tollat certitudinem ſententiæ, neq; prorſus impediat, quo minus ad voluntatem & ſenſum legiſlatoris aliquibus veſtigijs perveniri poſſit: & hoc caſu ll. ex æquo & bono judices interpretari poſſunt. *l. in omnibus 90. de R. I. l. quod Epheſi 4. §. interdum in fin. ff. de eo quod cert. loc. l. ſi ſervum 91. §. 3. de V. O. l ſcire ll. l. benignius de ll. l. ſi tibi 20. l. ſi me & Titium. ff. ſi cert. Pet. l. Impp. ff. de appel. l. 2. C. de reſcind. vendit. vide Cuj. ad l. 7. de l. & l. Don. 1. comm. 13.*

43. Subſequuntur pugnantia ll. qualiaſunt 1. interitus & occaſus earum, qui contingit, vel deſvetudine, cum non utendo finiuntur & antiquantur: exemplum vide in libertis dedititijs & Latinis: *§. f. Inſt. de libert*: item teſtamentis calatis comitijs, in procinctu, & per æs & libram: *§. 1. Inſt. de teſtam.* vel conſtitutione aliâ latâ, quâ aut abrogantur, aut derogantur, aut ſubrogantur aut obrogantur. Abrogantur, quæ penitus tolluntur, ut l. Fuſia Caninia. *§. un. I. de l. Fuſ. can. toll.* Derogantur, quarum pars aufertur, ut lex Aquilia, cujus ſecundum caput in uſu eſſe deſiit. *§. liberum I. de Aquil.* Subrogantur, quibus aliquid adjicitur, ut in teſtamentis paulatim contigit: *§. ſed cum paulatim Inſt. de teſtam.* Obrogantur, quæ in aliam ſpeciem & formam mutantur, ut uſucapio: *l. 1 C. de uſuc. transform*: 2. mutatio veterum & ſurrogatio novarum. *Schonb. 3. pol. 9.*

44. Sed de hac quæſtio eſt accerrima: An mutandæ ſint ll majorum, atq; adeò, an Magiſtratus legem latam mutare, aliamq; ſubrogare debeat? Mutationem periculoſiſſimam eſſe ducimus, quia eâ ll. autoritas enervatur, dum nempe homines per illam annihilationem opinionem pravam concipiunt, de omnibus in genere, quod nempe ſint regulæ non regulæ:

veræ

veræ namq; regulæ proprium eſt ut ſit perpetua & conſtans. Præterea etiam ipſius latoris viileſcit autoritas, cogitant enim eum non eſſe eâ prudentiâ, ut poſſit rectè perſpicere temporum, perſonarum ac locorum futuras circumſtantias, dum nempe id, quod aliquando placuit, mutat. Hinc Saleucus Locrenſium Llator jubebat, ut ſi quis vellet leges ſanatas movere, aut novam ſtatuere, is collo in funem immiſſo de lege verba in foro faceret, & ſi per ſuffragia publica lex illa nova probaretur indemnis maneret, ſin minus, contracto laqueo ſtrangularetur: *Stob. Serm 22. vide Thol. 10. de Repub: 5. Bodin. 4. de Repub: 3. & 4.* Si tamen ll. illæ veteres iniquæ ſint, aut neceſſitas Reipub: flagitet, leniter & lentè abrogandas eſſe graviſſimorum ſaniorumq; politicorum ſententijs probatum eſt. *Lipſ. lib. 4. pol. c. 9. Dan. 3. pol. 4. Caſ. lib. 2. Sphær. 6. Keckerman. 1. Syſtem. 6.*

ΠΑΡΕΡΓΑ ex lib. 2. Inſt: Imp: tit: 20. ad fin. lib.

1. *Legata fideicommiſſis, ſed particularibus tantum, Juſtinianum per omnia exæquaſſe, ex ipſis textus verbis colligimus.*

2. *Rei legatæ cujus commercium non eſt, ne quidem æſtimationem deberi, etiam in eo legato verum eſſe, cujus ſolus legatarius commercium non habet, credimus.*

3. *Legatum in genere relictum valere ducimus.*

4. *In legato generis electionem n. n heredis ſed legatarij eſſe dicimus.*

5. *Quantitate ſæpius legatâ volente teſtatore pluries etiam deberi remur.*

6. *Teſtatore fundum communem legante non totum, ſed ſolum jus, quod teſtator habuit, legatorio deberi putamus.*

7. *In*

7. *In caſu tamen, ſi teſtator poſteà partem ſocij redemerit, ſicq; totum fundum adquiſierit, totum etiam legatario deberi arbitramur.*

8 *Legata, dodrantem excedentia, ſaltem naturaliter ab herede legatarijs deberi affirmamus.*

9. *Falcidiæ, ſi teſtator miles ſit, locum eſſe non admittimus.*

10. *Fideicommiſſum univerſale purum non agnitum, tranſmitti ad heredes ponimus.*

11. *Trebellianicam à teſtatore prohiberi poſſe, credere vix poſſumus.*

12. *Filiumfam: fideicommiſſo gravatum, duas quartas deducere juris civilis autoritate rejicimus.*

13. *Mulierem in codicillis teſtem eſſe poſſe defendimus.*

14. *Clauſulæ codicillaris tantam eſſe vim, ut eâ adjectâ, teſtamentum in quo filius eſt præteritus, non omninò corruat, ſed jure fideicommiſſi ſuſtineatur, coronidis loco ſtatuimus.*

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO DECIMA

DE

EXECUTIONE LEGUM IURISDICTIONE ET JUDICIIS.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit: 13. prioribus lib. 3. Inſt. Imp. deſumptis.

Quam

NUMINE DIVINO AUXILIANTE

IN ALMA HAC ROSARUM ACADEMIA,

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

MICHAEL WALTHERUS

Pomer.

Ad diem 30. Julij.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Spectatiſsimis Conſultiſs prudentiſsimis, longâq; rerum civilium experientiâ excellentiſsimis viris,

DN. CHRISTIANO LUDECO Iuniori, ſupremi, quod Sedini eſt, Dicaſterij advocato & procuratori digniſsimo.

DN. PETRO SCHENNINGIO Ejuſdem Reip: civi & mercatori primario.

DN. MARTINO Schultzen.

Dnis meis fautoribus, curatoribus & vitrico, patris loco honorandis & colendis, in debitæ obſervantiæ ſignum conſecro & offero.

MICHAEL WALTHERUS

DISPUTATIO X.

DE EXECUTIONE LEGUM: UBI, DE JURISDICTIONE, ET JUDICIIS.

THESIS I.

SAnctionem ll. de qua præcedenti conflictu ſatis actum, ſequitur executio, quæ accuratè & exactè procuranda: Nam l. carens executione, eſt quaſi campana aut nola ſine piſtillo, & velut Magiſtratus mutus & mortuus. *Bodin. 3. de Rep. 1. M. Iun. 1. qq. pp. 6.*

2. Ejus verò ll. executionis ſpecies ſunt, adminiſtratio juſtitiæ, & cenſura.

3. Juſtitiæ adminiſtratio (quæ idem in Rep: atq; anima in corpore, imò vinculum & cuſtodia humanæ ſocietatis & Reip: eſt; *Proverb. 16. Thol. 10. de Rep. 7.* & eâ remotâ, Regna ſunt magna latrocinia *teſte Aug. Sapient. 1. Luc. 12. 31.*) expeditur exercitio Juriſdictionis, quam vocamus actum publicum, quo Magiſtratus ſubditis juxta ll. & æquitatis normam jus dicit.

4. Ad eam rectè exercendam inprimis requiruntur: 1. conſtantia, nempe ut uno & veteri tenore fluat gubernatio, neq; innovetur aliquid: ne illud *Dejaniræ* merito objiciatur convitium: Cœpiſti melius, quam deſinis: Ultima primis cedunt. 2. ſeveritas, ne magiſtratus aciem autoritatis ſuæ patiatur hebeſcere, quæ tamen non in rigorem degeneret: nam ob nimiam ſævitiam Dominus amittit juriſdictionem in ſubditos: *Geil. 1. obſ. 17. n. 2.* 3. lenitas, quæ legum præſidem, civitatisq; rectorem maximè decet. *Sene: lib. 1. de ira c. 5. in fin. Schonb. 3. pol. 19.*

5. Ejus ſpecies hic ponimus duas: Extrajudicialem, cum ſine proceſſu judiciario ex æquo & bono Magiſtratus vel per ſe ipſum vel per commiſſarios jus dicit: Et judicialem, cum per ordinarium judicium jus reddit.

6. Judicij finis conſiſtit in juſtitiæ adminiſtratione, cujus duæ ſunt partes, diſtributio præmiorum, & pœnarum irrogatio. Perfidè igitur judicia quidam Chriſtianis interdicere conātur: quia Deus ipſe ea inſtitui juſſit, magiſtratusq; ut ſuos vicarios, Deos appellavit: *Pſalm. 81.* Apoſtoliq; ipſi adiere judicia civilia: ut videre eſt: *Actor. 5. 26. & 35. 10.*

7. Præmiorum diſtributio quin neceſſaria ſit nulli dubitamus, quia quaſi excitatio & conſervatio deſiderij virtutis eſt, *2. Sam. 5. 8. 1. Chron. 11. 6. jud. 1. 12. 13. Deut. 28. & ſeqq.* è contra cum indignis honores & præmia tribuuntur, gloria jacet & ſordeſcit, & ſtimulus virtutis nullus eſt: *Bodin. 5. de Rep. 4. Alth. c. 24. pol.* Quicquid etiam ſtramineis nonnullis rationibus quidam ogganniant. *quas vide apud Timpl. lib. 4. pol. c. 5. q. 4.*

8. Probè tamen hic videndum, ut verè ſint digni, quibus conferuntur: Deinde quæ & quanta præmia diſtribuenda: Non enim eadem neq; æqualia omnibus tribuenda, ſed alia atq; alia, eaq; vel majora vel minora, prout major vel minor eſt meritorum dignitas; Jam enim præmium bonorum fortunæ alicui conferendum, jam dignitatum ac honorum publicorum gradus alij: Jam privilegia alia vel realia vel perſonalia tertio donanda. *vide latè Keck. 1. pol. 16. Timpl d. c. 5. q. 6.*

9. In pœnarum irrogatione providendum 1. ut tempeſtivè & cum intermiſſione aut per intervalla fiat; quia, *teſte Lipſ. lib. 4. c. 9.* nihil ſubditorum mores magis corrigit, quam parcitas animadverſionum: & ſi pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat.

10. 2. Ut ſecundum delictorum naturam obſerventur certi gradus & genera pœnarum, quæ quidem creſcentibus delictis & numero peccantium exaſperari queant, ita tamen ne de genere pœnæ in genus nimiâ ſeveritate tranſeatur. Nunquam igitur novorum ſuppliciorum inventio probanda: nam more patrio ſupplicia ſumi oportet. *Ariſt. 5. pol. 11.* Et execrandi illi, qui puniendi cauſam, modum non habent: *Sen. 2. de clem.* qualis fuit Caligula, Baſilides Moſcoviæ Princeps & alij.

11. 3. Ut obſervetur æqualitas, proportione nempe geometrica

ſtricâ,quo nimirum diſcrimen obſervetur inter nobiles &obſcuros, *de quatenus ſupra diſſ. 3. theſ. 20. priv. 4.* inter mares & fœminas, quæ delinquentes mitius puniri debent, quia ob imbecillitatem ſexus, non ita poſſunt reſiſtere affectibus, ut mares. *c. quod propoſuiſti 32. q. 7. l. ſacrilegij in pr. ad l. Iul. pec.* Si prægnantes ſint, earum pœna differtur poſt partum. *l. 18. ff. de ſtat. hom. vide Hack. d. l. th. 2. Piccol. lib. 8. Inſt. mor. c. 1. & 4. Bodin 6. de Rep: 6. Goclen. in problem. Eth.*

12. 4. Diebus feſtis non exigantur ſupplicia: nec deniq; Magiſtratus ſit ſuppliciorum ſpectator, neve ullam lætitiæ ſignificationem edat: nam ferina iſta rabies eſt, ſanguine & vulneribus gaudere. *Sen. 1. de clem.*

13. De judicijs *Caſm. & alij* tradunt multa ſpecialia ad proceſſum judiciarum propriè, non ad hanc diſciplinam pertinentia, quibus omiſſis nos tantum ea, ſine quibus hæc materia á politices cultoribus intelligi vix poterit, prælibabimus: perpendentes judicij, cum rectam conſtitutionem, tum leg. imum ejuſdem exercitium.

14. Recta conſtitutio judicij conſiſtit, partim in perſonarum idonearum ordinatione, per quas judicium eſt exercendum: partim in differentijs judicij.

15. Exercetur judicium, vel per magiſtratum, qui causâ probè cognitâ: *Ioh. 7. 51. 1. Reg. 3. 16. 17.* quantum fieri poteſt, in primis in negotijs arduis & gravibus, *Exod. 8. 19. Deut. 1. 17 prov. 29. 7.* in perſona propria cognoſcere & judicare debet. *2. Sam. 14. 5. & ſeqq. & 7. 14. Pſalm. 72. 1. 2. Tiraq. de nobil. c. 28. Antimach. 3. de Regn. admin. theor. 35.* vel, quia ipſe magiſtratus omnibus cauſis ſupereſſe nequit, per deputatos. *Arniſ. 1. pol. 16. p. 13. 72. 373.*

16. Deputati illi ſunt judices, quorum conſtitutio, non ſolum ad reverentiam Principi vel magiſtratui ſummo reconciliandam, ſed & ad juſtitiæ expeditiorem & pleniorem adminiſtrationem facit plurimum: in ijs conſiderabimus 1. qualitatem: 2. officium. 3. numerum.

17. Qualitas conſiſtit inprimis in peritia juris & legum: ut ſcil. periti docti pij judices conſtituantur. Unde rectè *Caſſiod. 8. lib. epiſt. 18.* ait: profeſſionem conſtat eſſe juſtitiæ, legum peritos

 judices

judices ordinare, qui a vix poteſt negligere, qui novit æquitatem, nec facilè erroris vitio ſordeſcit, quem doctrina purgavit: Deplorandum itaq; quod multis in locis analphabeti planè, & ruſtici, ex arbitrio judicantes, compotationibus litigantium patrimonia devorantes, confusè omnia ſine certa conſvetudine, ſine ordine & ſtylo, aut ullâ ſcripturâ tranſigentes, mutantes alterantes reperiantur. Hi enim quæſo, quomodo jus civile, quod judicis officium eſt, ſupplebunt corrigent? &c *l. 7. d. l. & l.* quomodo, ſi caſus in jure non definitus ac proinde illorum arbitrio commiſſus, *c. de cauſis X de offic. deleg.* *l. 1. de jur. delib l. hodiè l. functio de pæn.* incidat, arbitrium ſuum interponent? *Thol. 4. d. Rep. 8. Arn. ipol. 16. pag. 380.*

18. Requiritur etiam ſeveritas conveniens, quæ non conſiſtat in ſummo rigore, nec nimia clementia; nunquam enim injudicio adſentiri poſſumus *Caſſiod. l. 11. Ep. 40.* ſcribenti, benigni Principis eſſe, ad clementiæ commodum, tranſilire interdum æquitatis terminos, quando ſola miſericordia eſt, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant, ſed æqua animadverſione. *l. 13. de offic. præſ. c. eſt injuſta 23. q. 3.* unde rectè *Chryſoſt. in Math.* quemadmodum juſtitia ſine miſericordia non eſt juſtitia, ſed crudelitas, ita rurſus miſericordia, ſine juſtitia, non eſt miſericordia, ſed fatuitas.

19. Neceſſe quoq; eſt, ut judex, à crimine quod damnaturus eſt, ſit immunis, ſi enim non patimur verrucas noſtras ab ijs qui ulceribus ſcatent, reprehendi, multò minus vitia à ſimilibus condemnari: Unde vere *Ambroſ. c. judicet in pr. 3. q. 7.* judicet ille de alterius errore, qui non habet in ſe ipſo, quod condemnet. Sint immunes ab omnibus pravis affectibus, qui, *dicente Sen. 8. ep. 60.* rem conſilio & ratione videre non ſinunt, ſed juſtitiæ maximè obſiſtunt: Quare ſolent judices ſedere: *Nov. 71. l. Sancimus in med. l. quiſquis, l. ult. C. de poſtul:* ut tranquillitatis animi admoneantur, & affectus in tribunalis veſtibulo exuere, & cum conſcientia procedere jubeantur: unde & *Bald. l. 2. C. de ſent. ex per. recit.* Duos ſales requirit in judice, ſcientiæ & conſcientiæ. *Arniſ. d. loc. pag 382.*

20. Ad officium eorum pertinet cauſas dubias & controverſas

verſas in judicijs cognoſcere & decidere ſummoq; ſtudio abuſum t ddendæ juſtitiæ & judiciorum corrigere & evitare. Quę maxime facit, ut utramq; partem audiant, eiq; æqui ſint, *Nav.S. c.3. §. æquus.* exemplo Alexandri M. quem, cum controverſias audiret, ſolitum aurem obturare alteram, ut eam reo integram reſervaret, refert, *Plut. in Alex.* Sententiamq; non precipitent, quare eleganter *Sen. in prov.* ad pœnitendum properat, qui cito judicat: Et *Hippol. de Marſil.*: præcipitata voluntas eſt noverca juſtitiæ.

21. Unde manifeſtum fit, quod judex eſſe nequeat; ſurdus, quia à partibus litigantibus inſtrui non poteſt, nec mutus, quia ſententiam proferre nequit: De cæco nonnihil controverſum eſt: Nos, non facile conſtituendum, nec frivole rejiciendum ducimus, ob juris civilis autoritatem *l. 6. ff. de judic.*

22. Quatuor hic acerrimi cum politicorum tum juris Interpp. confl ctus tractari poſſunt: Quorum 1. eſt: an cum judex ſecundum ll. judicare jubetur, *in pr. l. de offic. jud.* in judicando magis ſtrictum jus, quam æquitatem ſequi debeat. Poſterius Aff: *per l. placuit C. de judic. l. 14. §. 13. ff. de relig. & ſumpt. fun.* Et tam ex ll. fit, quod ex ſententia, quam quod verbis *l. 6. §. 1. de V. S.* Verba enim ſunt inventa, ut mentem exprimant, mentiq; & ſententiæ loquentis inſerviant. *l. ſcire oportet §. ſi aliud. de excuſ. tut. l. 3. l. 7. de ſuppel. leg.* Nec ſcire ll. eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem *l. ſcire ff. de ll.* Si quid itaq; duriori fortaſſis interpretatione vel æquiori ad caſum præſentem adcommodari poſſit, æquitatis interpretatio ex præſumpta Llatoris mente arripienda eſt: *l. 18. de ll. l. in omnibus quidem de R. I. Arum: exerc. 20. th. 5.*

23. 2. An judex ſecundum conſcientiam, an vero ſecundum acta & probata judicare teneatur? Secundum conſcientiam putamus: *per l. illicitas §. veritas ff. de offic. præſ. adde & arg. l. eum quem 79. de judic. l. 3. de teſtib. l. 1. ad SC. Turpil. l. 15. ad mun:* Quo etiam facit finis, cum ipſius probationis, qui eſt, ut judex, non adverſarius, cui nunquam ſatisfieret, informetur *l. quinquaginta in fin. ff. de probat.* unde & probationes dicuntur arbitrariæ, & pendere ab arbitrio judicis: *l. 3. §. tu magis ſcire ff. de teſtib.* Jam autem judex quid certius poſſit cognoſcendo aut diſceptando intelligere, quam quod ſcit:

ſcit verum eſſe. Hoc enim probandi modum omnem ſuperat, *l. minor 25 annis: ff. de min. c. dilecti de appell.* tum actorum, qui eſt ut conſtet veritas *l. 3. ff. de teſtib. l. 4. C. eod. l. judices C. de judic. l. 2 C. de edend.* Qua itaq; ratione ſtatuemus, acta ad opprimendam veritatem? quod fit, ſi falſa acta contra conſcientiam arripiamus. In ſumma qui dicunt judicem non debere, conſcientiam ſequi, ſed acta, in effectu nihil aliud dicunt, quam judici non eſſe probandam veritatem, ſed ſatis eſſe, utcunq; actorum falſa & impertinens materia exhibeatur: quo quid abſurdius? *vide Han. illuſt. qq. d. 23. th. 18. & ibid. alleg. aut: pro & contra.*

24 5. An judex condonare maleficia & reis criminum capitalium ignoſcere poſſit? Et quin tales judices, de quibus jam agimus non poſſint, minus dubium eſt. An a. ſummus judex poſſit, admodum ſcrupuloſa eſt diſquiſitio. Et cum jus illud indulgendi abolendiq; pœnas capitales ſit ſymbolum & character regiæ ſupremæq; præeminentiæ, *l. relegati 4 in fin. l. moris 9. §. iſte vero l. ad beſtias 31. ff de pœn. Oct. Cacheran. decis. 101.* affirmamus, diſtinguentes tamen omnino, inter crimina, quæ ll. divinis expreſsè, & quæ humanis ultimo ſupplicio vindicantur. Illa enim remittere nequit, ob præceptum Dei graviſſimum. *Deut. 13. verſ. 8. & ſeqq. & 17. 12. & ſeqq. & 19. 19. Exod. 21. 12. Num. 35. 31. Heb. 10 28. Rom 13. 4. Sap. 6. 4. & ſeqq. & infinitis alijs locis:* & exempla graviſſimè punitorum ob gratiam alijs factam. *1 Sam. 15. 1. Reg. 20. 24.* unde & *Ludovicus pius*, cum alicui ſcelus quoddam condonaſſet, & mox incidiſſet *in verſ. Pſal. 106.* BEATI QVI FACIUNT JVSTITIAM, hominem revocavit, & gratiam irritam fecit. *Antimach. l. 3. de reg. adm. th. 7.* Et ne talis facilitas pœnæ & impunitas incentivum delinquenti tribuat *c. eſt injuſta 23. q. 4.* multisq; alijs peccandi feneſtram aperiat: *c. loci proinde 15. q. 9. Nov. 17. c. 5.* Hæc autem ex miſericordia condonare quidem poteſt, ſed non niſi urgente Reip: neceſſitate, nempe, ob merita perſonarum, virtutes & operas, quibus Reſp: carere non poſſit: *1. Reg: 2. 26. & paſſim. vide Dan. 6 pol; qui eleganter hanc quæſtionem tractat. Zepp. de ll. Moſa. lib. 5. c. 8. Arniſ. 1. pol. 16. Treutl. 2. d. 21. th. 3 lit. g. P. Heig. 2. q. 34. à num. 33.* qui omnes tradunt, remitti & mitigari poſſe, ea delicta, quæ non ſunt in Dei maje-

ſtatem,

ſtatem, jura naturalia, & Remp: ſed directò in homines privatos commiſſa. Eandem poteſtatem ſtatibus imperij ob merum imperium, quod eis indultum eſt, tribuunt *Dd. vide Rul. 4. Vall. conſ. 4. n. 4. lib. 3.*

25. Idem quoq; jus Pontifex nullo tamen titulo ſed falſo ſibi arripuit: quin & nequiſſimè Cardinalibus ſuis etiam communicavit, adeò, ut illi ſi ad mortem condemnato obviam prodierint, etiam latroni, etiam ſicario, etiam ſodomitæ, ſive pileum, ſive capellum injecerint, â mortis pœna eum liberari poſſent. ô immanem impietatem! quomodo hæc quæſo cum l. Dei congruunt? quomodo cum ante citatis comminationibus conveniunt? Sed ipſi videant, aliquandoq; dignè meritas pœnas luant.

26. 4. An judex munera accipere poſſit? cujus deciſio facilè peti poteſt *ex diſp. præc. th. 28.* cui adde quod munera excæcent oculos juſtorum *Deut. 15.* & prævaricatio ſint veritatis. *c. qui rectè 11. quæſt. 3.*

27. Ad officium quoq; judicum pertinet, ut accuratiſſimam curam librorum & actorum judicialium, cum deſcribendorum, tum cautè aſſervandorum habeant.

28. Numerus judicum â ſummo magiſtratu; certus eſt conſtituendus: quam a. fieri poteſt pauciſſimi ſunt habendi. *Antim. l. 3. de Reg. adm. th. 35.*

29. Adjunguntur judicibus quoq; adſeſſores, qui ſuis votis eos adjuvant, & miniſtri varij, ut ſcribæ, apparitores, lictores, cuſtodes, carcerum & captivorum præfecti &c. uti cujusq; judicij ordinatio demonſtrabit.

30. Tantum de perſonis: Differentia judiciorum conſiſtit in eo, quod aliud ſit intermedium, & ſubordinatum, â quo datur appellatio: aliud ſummum, â quo ad aliud appellatio non datur: quale eſt ipſius Imp: Nam hodiè provocatio nulla datur ulterior, præterquam ad Cæſarem: *l. 1. §. 1. ff. à quibus appell. non lic.* Adeò ut nunquam jus illud â Duce, comite &c. ne ab illo ad Cæſarem provocetur, præſcribatur: *Covar. in relect. c. poſſeſſor, §. 2. n. 10.* Excipiuntur tamen illi, quibus privilegij loco indultum eſt, ut vel planè ab iis non poſſit provocari, quales ſunt, Saxonici & Brandenburgici vel intra certâ aliquam ſummam. *De quibus Ayrer. & alij Practici in proceſſib. ſuis. Geil Mynſ. in obſ.*

31. Verum de appellatione ad ſolum Cæſarem hodierno tempore non usq; quaq; expeditum: Sunt non obſcuri nominis viri, qui appellationem ab Imperatore ad eundem & ſtatus imperij conjunctim mordicus defendant, propterea, quod præſentis imperij ratio ab antiqua illa & verè Romana longè receſſerit, & poteſtas condendi leges ad imperij ſtatus tranſierit: Sed ijs adſentiri prorſus nequimus: Nam & ex falſa hypotheſi argumentantur, totam enim poteſtatem condendi ll. ſtatibus commiſſam non eſſe *jam diſp. ſup. præc. th. 21.* oſtendimus: & poſito, quod ſit, nihilominus tamen manſit juriſdictio, quæ non condit ll. ſed ſecundam conditas jus dicit. Quare ab Imp: ad ſtatus provocationem non licitam concludimus, utiliusq; Reip: eſſe putamus ad extinguendas lites paucis injuſtè oppreſſis appellationis beneficium denegare, quam multis calumniantibus, quærelarum januam aperire: cum rariſſimi ſint, qui ſe juſtè reputent damnatos. *Iuſt. Spring. in tr. de pac. relig. c. 2.*

32. Sed cum ulterior appellatio quam ad Imp: non detur, quærunt emunctiores qui naſus habent, annon procedat ad Imp: malè informato ad melius eundem informandum appellatio? A Philippo quidem Macedone temulento ad eundem ſobrium provocatum fuiſſe teſtis eſt. *Plutarch. in apopht. Bodin. 2. de Rep: 10.* Verum rectiſſimè tradunt ſaniores *Geil. & alij*, hujuſmodi provocantes communi ſtatuum ſuffragio repulſam paſſos & pati meritò debere: quia ab eodem ad eundem non valet appellatio *c. Romana §. de appell. in 6.* Et cum Imp: acta maturo conſilio perfici exiſtimetur, *arg l pen. ff. de his quæ in teſt.* reprehenſione non caret, in curiæ aut inconſulti judicij Principem inſimulare velle. *Heig. 2. q. 10. n. 22.*

33. Similem cum Imp: poteſtatem in hac materia habet Camera, ita ut ab ea ad Imp: provocatio non permiſſa ſit: ordinariam enim juriſdictionem obtinet, & jus dicendi facultatem habet vice Cæſareæ majeſtatis: *arg. l. 1. §. fin. ff. quis à quo appell. ord. Cam. tit. 27. 35.* Unde & mandata, ſententiæ & decreta ſub nomine & ſigillo Cæſaris emanant. *P. Heig. 1. q. 9. num. 4.* Eſt autem illius judicij autor Maxim: 1. Imp: qui conſentientibus Imp: ſtatibus Wormatiæ in conventu an. 1495. illud, conſtitutis 16. aſſeſſoribus, à ſex antiquis circulis, *de quibus ſupra diſp. 7.* nominari ſolitis,

ordin.

ordin. Cam. Conſtantiæ edita anno 1507. tit. die ſechs Churfürſten: ord. Cam. Auguſtæ anno 1548. & 1555. edita tit. 1. §. des gleichen ſollen die ſechs Kreiß &c. partim nobilitate, partim publico doctrinæ teſtimonio ornatis, judice ordinario, illuſtri dignitate comitis vel Baronis conſpicuo, inſtituit & conſtituit Spiræ: unde &, exceptis belli & peſtis temporibus, injuſſu Cæſaris & ordinum transferri non poteſt ordin. com. p. 2. t. 34. Schonb. 5. pol. 20.

34. Idem cap. 21. d. l. ait, dicaſterium Rotvvilenſe, das Keyſerliche Hoffgericht zu Rohtweil/ inſtitutum â Conrado Duce Sveviæ Imp: anno 1147. Reform. jud. Rotw. Max. II. p. 2. t. 5. jurisdictionem obtinere, non quidem univerſalem, ut Camera Spirenſis, ſed in certo ac limitato diſtrictu, per Svevicum, Auſtriacum & Rheni ciriculos, & quidem in omnes ejus diſtrictus, cujuſcunq; ordinis ſint, incolas, niſi ſpeciali privilegio exempti ſint, ut Electores Rheni, comites ab Hohenzöllern &c. P. Frid. Mindan. lib. 1. de proceſſ. in fin. De ejus forma & ordine ſolus Imp: conſtituit, aſſeſſores autem ex ſenatu leguntur. d. ref. Max. II. par. 3. tit. ult. §. fin.

35. Et hactenus de recta judicij conſtitutione: ſequitur legitimum ejuſdem exercitium: in quo rurſum occurrunt: 1. res de quibus: 2. perſonæ inter quas: 3. forum in quo: 4. modus quo judicium eſt exercendum, & deniq;: 5. ejuſdem diviſio.

36. Per res intelligimus cauſas controverſas; quarum an etiam minimæ in judicium deferendæ, in dubium vocat Timpl. 4. pol. 6. quæſt. 5. & affirmativè decidit; quia 1. & parvis delictis impunè relictis, licentia peccandi hominibus datur: 2. judicij forum non tantum Crœſo ſed & Iro patere debet: 3. Reſp. non eſt perfecta, in qua vel minima injuriæ vulnera non etiam ſanantur: 4. ex parvis ſcintillis ſæpè magna oriuntur incendia, quibus integræ domus, pagi, urbes conflagrant. vide alias rationes d. loc.

27. Perſonæ ſunt actor & reus, quibus certi in jure limites præſcripti: ut apud juris Interpp: latius videri poteſt. Ijs inſerviunt pragmatici, cauſidici, procuratores, advocati, de quibus hic ſolum notandum, quod omni ſtudio videndum ſit, ut numerus eorum non excreſcat, ne omnia litibus impleantur, & ne velut hirudines privatorum bona exſugant: item ut quam

 compen-

compendioſiſſimè omnia agant, ſine inanibus verborum ambulis. *Thol. 4. de Rep: 8. Alth. c. 24. Keck. 1. pol. 17.*

38. Per forum intelligitur locus, in quo exercetur judicium, qui erat apud Judæos ad portas, hodiè ubi ſit nil poſitum eſt, dummodo ſit certus, determinatus & publicus; ut ſic accedat autoritas rebus judicatis: Deinde ut ſic, qui ſimilia habent negotia litem non movere diſcant; Deniq; judices magis metuant, ne corruptè judicent. *Keck. d. loc.*

39. Per modum ſignificamus proceſſum ipſum judiciarium. De quo conſulendi ſunt pragmatici. hic ſaltem monemus magiſtratum, ut conſtituat & urgeat planum, non nimis longum, nec nimis brevem ac feſtinantem, quia nimia feſtinatio judiciorum noverca eſt & labes, utpote propter quam legitimus cognitionis ordo & ſufficiens cognitio inſtitui nequit. *teſte Plat. 6. & 8. de ll.*

40. Dividitur porro judicium in civile, quod judicat de cauſis civilibus, id eſt talibus, quæ non habent delictum ſeu crimen, ut hæditates, contractus &c. vel criminale quod judicat dilicta: Ad utrumq; pertinent jurisdictionalia, merum & mixtum imperium, quæ & principes noſtri partim ex contractu & inveſtitura feudali, partim privilegio expreſſo vel tacito habere ab Imp. tradit *Schonb.* 5. *pol. 22. 23.* & quidem ita, ut ſeculares filijs tranſmittant, Eccleſiaſtici capitulo reſignent: *c. cum olim 14. de major. & obed. Geil. 1. obſerv. 20. num. 10. Harm. 2. obſ. tit. 1. obſ. 15.*

41. In criminali *Keck. d. ſæpè loc. pag. 295.* perpendit 1. deprehenſionem facinoroſorum: 2. inquiſitionem: 3. executionem.

42. Quantum primum attinet, requiritur ut magiſtratus curet maturè per certos ac fideles lictores eos capi & cuſtodiri: Quare neceſſe eſt ut magiſtratus probè munitos & diſtinctos carceres, ut nempe alij alijs ſint honeſtiores, habeat, illorum jus inviolabile ſervet, à fractura graviſſimâ pœnâ defendat: item ut ſponſiones pro cuſtodia, die außburgung non facilè admittat: qua in re JCti conſulendi.

43. Effringentes carceres mortis pœnam incurrere, tradit *Ulp. l. 1. ff. de effract. l. milites §. ejus fugam ff. de re milit. l. ſi quis aliquid 38. §. miles ff. de pœn.* An autem mors naturalis & ultimum ſupplicium, an civilis, ſeu exilium & civitatis amiſſio intelligatur, magna lis eſt inter Dd. quos in utramq; partem allegat *Fachin. 9. con. 64.* & concludit:

eludit ſe benigniori ſententiæ calculum præbiturum, niſi videret eos qui carceres effringunt, magiſtratus ipſius majeſtatem contemnere, & plerumq; conſtitutionibus caveri, hoc crimen mortis pœna mulctandum.

44. Inquiſitio eſt gemina: mitior, quæ fit ſine tortura, per argutas nempe, & acutas quæſtiones, atq; articulos ad examinandum reum excogitatos. vel gravior, quæ fit in vinculis & per torturas.

45. Verumenimvero cum homo, omnium creaturarum, tam ratione creationis, quam redemptionis digniſſimus, meritò ardua eſt quæſtio, an tam horrendis torturæ cruciatibus ſubjiciendus? In qua tres Dd. ſententiæ reperiuntur: duæ extremæ & media: prima eſt eorum, qui contra omnem humanitatem ferociter exquiſitiſſimum quodq; tormentorum genus excogitandum atq; ad ſcelerum extorſionem adhibendum adſtruunt: Altera eorum, qui planè torturis non utendum, quia cum principijs theologicis pugnent, diſputat: in qua ſententia eſt *Zepp. lib. 5. de ll. Moſ. c. 10.* Quarum neutra placet, ſed media, quæ neq;, ut hodiè, proh dolor! inprimis ab imperitis nobilibus fit, crudeliter adhibendas, neq; planè omittendas defendit *ex l. 1. §. 7. ff. de quæſt.* Quare ſeqq: cautelas notant: *1.* ut diſcrimen perſonarum, non modo ratione privilegiorum, ſed & roboris ac conſtitutionis corporis, ut & ſexus habeatur. 2. ut delictorum diſcrimen obſervetur, nec in omnibus æqualiter procedatur. 3. ut primò per carceris ſqualorem confeſſio tentetur, ſi hæc non ſufficiat, inedia unius atq; alterius diei adhibeatur, ſi nec hæc extorqueat, ad vigilias veniatur, exemplo Hollandorum, quos adhibito ad reum cuſtode, qui reum dormire volentem ſemper excitet, majorum ſcelerum confeſſiones feliciter extorquere ferunt. In nonnullis locis plantas pedum aquâ falsâ abluunt. & poſtea capram adhibent, quæ plantam lingat. Hæc ſæpè, præſertim repetita exquiſitos cruciatus faciunt, ita ut ad numellas, taxillos, pondera progredi non ſit neceſſe. 4. ut in caſu neceſſitatis, quando nempe veritas aliter haberi non poteſt, concurrentibus indicijs gravibus, tortura non crudeliter ſed humaniter, Menſchlicher weiſe / adhibeatur. 5. carnificum crudelitas ſtrictè coërceatur, nec ſæpè tortura iteretur: & ſummatum in tor-

turis & quæſtionibus potius peccetur in defectu quam exceſſu. *ut hæc omnia fusè Keck. in Curſ. Phil. d.32. th.4.*

46. Executio conſiſtit in irrogatione pœnæ criminaliū judiciorū: Pœnæ a. ſunt vel capitales vel non capitales: Capitales ſunt, cùm *vel vita naturalis adimitur*, quod fit varijs ſuppliciorum generibus, cruce, *vide Lipſ.3. libris exponentem*, furca *de qua Lip.de loc.lib.3. c.5.* Cujus vicem hodiè ſtrangulatio ſupplet: quæ pœna dicitur præpoſtera, ob incluſum Spiritum, cui quæritur exitus. *Plin. lib.2. c.35.* crematione ſeu vivorum exuſtione *l.8. §.2. ff. de pœn.* decollatione, vel gladio, quæ honeſtior cenſetur, vel ſecuri fieri ſolita *l.8. §.1. & l.28. d. t.* lapidatione *Deut.22. Levit.23. Act.7.* ſubmerſione, quæ moribus noſtris ut plurimum fœminis irrogatur, diſſectione membrorum, cum corpus diſcerpitur in 4. partes, vel inſtrumentis ferreis, vel equis adhibitis, quod frequenter fit in Gallia: fractione per rotam, excoriatione *2. Mac.7. Herod. lib.5.* dejectione è rupe Tarpeja: *Gell.lib. 20 c.1.* diſſectione omnium venarum corporis. *Vel vita civilis aufertur*, privatione libertatis & civitatis, vel alterutrius tantum: quod contingit, damnatione, in metallum inquirendum vel eruendum, ad beſtias, vel ut ſint præda earum *l. pœna 9. ff. ad l. Pomp. de parric.* vel ut cum jis depugnent. *l. is qui judicio ff. de accuſ.* ad carcerem perpetuum, quæ tamen pœna jure civili in libero homine incognita fuit *l. 35. ff. de pœn. l.6. l. 8. §.9. l.10. C. eod.* imo carcer cuſtodiæ non pœnæ cauſa conſtitutus *l.6. §7. de injuſt. rupt.* Sed jure can: introducta eſt *c. quamvis,3. de pœn.in 6.* in exilium *l 2. de publ.jud.* in opus publicum perpetuum *l.17.§.1.ff. de pœn.* deportatione *l. 17.§.1. de pœn.* Non capitales ſunt, amputatio alicujus membri *arg. Nov. 128. c. 20.* & primo quidem tantum manus: *Nov. 134. c. ult. auth. ſed novo C. de ſerv. fug.* & pedis *l.3.C.d.t.* poſtea etiam linguæ, aurium, & relegatio *l.28. §.1.de pœn.* conjectio in carceres ad tempus. fuſtigatio *l.28.§.2. de pœn.* ſtigmatis inuſtio, quæ ſublata eſt *per l.ſi quis in metallum 17.C.d.t.* mulctatio, quæ tum criminalis eſt cum fiſco applicatur mulcta. *arg. l.5. C. de mod. mulct.* quo etiam referenda confiſcatio & excommunicatio. *Men. de A. I. Q. Caſ.438.n.35.*

47. Antiquis, & inprimis Græcis Athenienſibus uſitata olim fuit, cicuta ſeu præbitio veneni, conſvetudine jam antiquata: de qua quærunt politici, an ea in uſum ſit revocanda? Affirmant quidam, præſertim in punitione perſonarum magna-

Digitized by Google

magnatum: alii negant, quia hoc uno veluti flatu diſsipari videtur publica illa ac veſtutate corroborata judiciorum omnium ac pœnarum adminiſtratio, quæ ſi intra privatos parietes perageretur, non poſſet non amplam ſuſpicionis ſegetem ac materiem populo ſuppeditare *Keck. 1. pol. 17. p. 300.* Nos hiſce ſubſcribimus, non tam ob dictam rationem, quam quod pœnæ genus ſit, ab ipſo facinoroſo, quod horrendum ac deteſtandum, applicandum & infligendum.

48. Illud hic notandum, quod infamia notati & damnati, honores recipere queant, ſi Imp: eos ex poteſtate ſua reſtituat: *l. cum indulgentia & t. t. C. de ſent. paſſi & reſtit.* R. A zu Augſpurg *anno 1525.* in quo Imp: *Ferdinandus* ſeditioſos ruſticos honori & famæ reſtituit. Quæ tamen eadem poteſtas hodiè ſtatibus indulta eſt: *Prof. Farin. in pract. crim. lib. 1. t. 1. q. 17. n. 21.*

49. Executio fit per certas & deputatas perſonas, quas hodiè carnifices vocant, quorum miniſterium tam neceſſarium, quam pœnarum executio, quamvis ipſi omnibus exitioſi & infames, conſortioq; reliquorum ferè indigni habeantur *ut teſtatur Cic. pro Rab.* An a. illud ex officio fiat, & olim dubitatum fuit, & etiamnum quæritur, *Thol.* affirmat: cum quo non facimus, quia per ſe executio ſententiæ non infamat: Et ſanè ſi honeſtum eſt judicem ſententiam in ſceleratos ferre, quomodo illius executio turpis ac facinoroſa eſſe poterit? quod ſatis demonſtrant exempla populi Dei; ubi nobiliſſimos quosq;, ſi teſtes capitalium ſcelerum fuiſſent, eoſdem carnifices habere, non fuit inhoneſtum ſed & neceſſarium. *Bod. 3. de Rep: 8.* accedit mos Angliæ, in qua idem *Bod. d. l.* extremum pietatis officium eſſe ſcribit, ſi proximiores propinqui, imò ipſi parentes carnifices agant, & facinoroſis de trabe humili pendentibus gulam frangant. Quod a. malè audiant iſti executores, *Zepp. l. 5. d. ll. Moſ. c. 7.* duas cauſas reddit: *1.* eſt Papiſtica irregularitas, quæ ſecundum ipſos ex quovis contrahitur homicidio, adeò ut tam juſtè nemo alterum occidere queat, quin aliquid labis & noxæ inde contrahat, quo minus ad ſacrum miniſterium poſsit promoveri, *2.* quod carnifices & lictores fuerint ab initio facinoroſi & ſcelerati, quemadmodum adhuc hodiè pleriq; illorum turpiter & ſcelerate vivunt: unde officium non ipſos, ſed ipſi potius officium ſuo vitio polluunt. Addimus 3. quod illis hominibus ſordidiſsima quæq; à magiſtratu opera demandentur, quibus eò audaciæ & proterviæ progrediuntur, ut omnem ſimul modeſtiam & honeſtatem cum pietate exuant: ſed quia hæ cauſæ omnes fluunt ex accidenti, carnifices per ſe nec eſſe nec haberi infames poſſunt. *Keck. in Curſ. Phil: 32. quaſt. 6.*

50. Unde deducimus iniquiſſimam eſſe illam conſuetudinem, quam etiamnum in nonnullis Germaniæ locis frequentari audies, ut ſi carnifex ipſo actu deficiat, neq; unico ictu rem peragat, repentè promiſcua in illum multitudo irruat, & lapidibus obruat: Hac conceſſâ licentiâ multa enormia exiſtere neceſſe eſt. Unde huic malo ſapientiſsimè obviam ivit *Car. V. in* der P. H. O. *art. 97.* præcipiens, ut cum fracto poſt ſententiam definitivam baculo à judice, lictor reum

ad lo-

ad locum ſupplicij trahit, prætor palam ac publicè exclamari denunciariq;, adeoq; magiſtratus atq; poteſtatis nomine ſub capitali pœna juberi faciat, lictorem nulla ex parte impediri, & licet caſus in eventu fuerit, nullas illi manus violentas injici, *Keckerman. d. loc.*

51. Requiritur quoq; ad executionem ſententiæ, ut certa certoq; & tuto loco definita ſit area, in qua ea executio fiat: Germanicè die Wahlſtådt: ubi merito reprehendendus multorum locorum mos, qui contra Dei mandatum illum locum horribili multorum cadaverum ſpectaculo implet.

52. Hæc pro inſtituti noſtri modulo de juſtitiæ adminiſtratione dicta ſufficiant: De cenſura impræſentia aliquid addere nec tempus nec chartæ exiguitas permittit; quare eā rejicimꝰ in *diſp.12.* ubi aliàs de cura ſubditorū extrinſeca agendum. Quin & ærarium, 3 adminiſtrationis medium ad commodiorē locum differimus.

ΠΑΡΕΡΓΑ ex tit. 13. prioribns lib. 13. Inſt. Imp.

1. *Quia etiam inteſtatus dicitur qui omnino teſtamentum non fecit, ſententiam eorum, qui ſtante ſtatuto, ut exiſtentibus fratribus vel agnatis, mater ab inteſtati filij ſucceſſione excludatur, etiam pupillum furioſum &c. pro inteſtatis habendos, & matrem ab eorum hæreditate repellendam exiſtimant, probamus.*

2. *Jus repræſentationis inlinea diſcend. in infinitum ſe extendere & locum habere certò ſcimus.*

3. *Jure veteri nepotem in poteſtate retentum cum filio emancipato in ſucceſſione ab inteſtato conjungi, novo v. excludi ducimus.*

4. *Statutum, quod extantibus maſculis naturalibus & legitimis fœminas excludit, ad legitimatos per reſcriptum principis extendendum non eſſe dicimus.*

5. *Ex damnato coitu natos in totum arceri à parentum ſucceſſione, adeo ut ne quidem alēdi ſint, certū de jure civili: quod nec jure can. mutatū eſſe ex.gr. defendimus.*

6. *Ex nefario & inceſtuoſo coitu natos nec in aſcendentium nec in deſcendentium bonis participium aliquod ſperare poſſe putamus.*

7. *Liberis deficientibus ad ſucceſſionem parentes, nullâ ſexus aut patriæ poteſtatis ratione attentâ, nec ullâ diſtinctione inter bona materna & paterna admiſſâ, primo gradu in capita, ulteriori in ſtirpes admittimus.*

8. *Solos fratrum filios, nullo amplius Germano ſuperſtite ab aſcendentibus excludi ponimus.*

9. *Fratres ab uno tantū latere defuncto conjūctos aſcendētes excludere pernegamꝰ.*

10. *Si ſoli ſint fratrum filij, in capita hereditatem dividendam indubium vocare non audemus.*

11. *Cognatos, cognationem probantes in infinitum ſuccedere non dubitamus.*

12. *Hereditates filijs rebellium delatis, non fiſco applicandas ſed proximioribus ab inteſtato venientibus, remur.*

13. *Bonorum poſſeſſionis nullum prorſus hodiè uſum eſſe nunquam credimus.*

14. *Bonis cedentem hodiè ne facti quidem infamiâ notari tradit Hotom. quod, an verum in ipſo conflictu videbimus.*

Digitized by Google

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO UNDECIMA

DE

CURA MAGISTRATUS RELIGIOSA,

UBI DE PACIFICATIONE PASSAVIENSI, ET SCHOLASTICA.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex tit: 14. 15. lib. 3. Inſtit. Imper.

Quam

AUXILIANTE JEHOVA

IN ALMA HAC ROSARUM UNIVERSITATE,

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

CHRISTOPHORUS ALBERTUS LINCKIUS

Hagenoënſis Alſatus.

Ad diem 6. Auguſt.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

Spectatißimo, doctißimo, longâq; rerum civilium obſervatione excellentißimo viro.

DN. NICOLAO RICHARDO,

Liberæ civitatis Imperialis, Francoforti ad Mœnum Civi primario, conſobrino meo oculiſsimo.

UT ET

Præſtantißimo, eruditißimo politißimoq; viro,

DN. ADAMO Rehm/

Iurium Candidato meritiſsimo, populari ac amico meo fraterno.

Conſecro & offero

CHRISTOPHORUS ALBERTUS LINCKIUS
Reſpondens.

Digitized by Google

DISPUTATIO XI.

DE CURA MAGISTRATUS RELIGIOSA, UBI DE PACIFICATIONE PASSAVIENSI, ET SCHOLASTICA.

THESIS I.

Onſideratis hactenus neceſſarijs gubernationis & adminiſtrationis medijs: ejus in poſterum partes placidæ collationi ſubjiciemus: Et quidem ex duplici tempore, magiſtratui gubernando, *teſte Imp: in pr. proœm. Inſtit.* duas conſtituimus: Prima togata, altera militaris ſeu bellica cura, ac gubernatio.

2. Cura togata eſt,quæ tempore pacis à magiſtratu exercetur:*c. noli 23. q.1.* & verſatur vel circa homines, vel circa alias res.

3. Cura circa homines dividi poteſt in intrinſecam,quæ verſatur circa animam, & extrinſecam, quæ circa corpus.

4. Cura intrinſeca eſt duplex,una veræ religionis, altera rei literariæ ſeu Scholaſticæ.

5. Cura veræ religionis requirit, ut magiſtratus de religione in Rep: inſtituenda,conſervanda & propaganda quam maximé ſit ſolicitus: uti de ſe teſtatur Juſtin. *l.1. C.de vet.jur.enucl. l.un. C.ut nem.lic. ſign. Salvat. l. Manichæos C. de hæret.* Illa enim ſola eſt, *teſte Lactant: de ira,* quæ hominum inter ſe ſocietatem cuſtodit, quâ ſublatâ, vita hominum ſtultitia & immanitate complebitur.

6. Conſiſtit ea in duobus 1. in exercitij religioſi liberi & publici permiſſione: 2. in rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione.

7. Ad exercitium tria maximè neceſſaria ſunt: 1. doctrina pura & incorrupta: 2. diſciplina Eccleſiaſtica: 3. legitima doctorum idoneorum vocatio.

8. In Doctrina, inprimis introducenda & inſtituenda, iterum ſeqq: obſervanda: 1. veritas; quæ ut in omnibus alijs rebus, ita vel maximé in religione, ſpectanda eſt, quia eâ Deo, qui non

Digitized by Google

tantum verax eſt, ſed ipſa veritas, religamur atq; unimur. Deteſtamur igitur & planè exploſam optamus impiam illam *Machiavelli, monſtri Florentini* ſententiam: *lib. 1. com: c. 12. 13. 14.* Principem, ſi quid in religione falſi eſt, id confirmare debere, dummodo fovendæ religioni proſit: *vide Antim. 2. de Regn. adm. 2.* Et quidem ea veritas ex ſolius verbi divini fonte haurienda, non ex hominum corruptorum judicijs definienda eſt.

9. Hic ſe nodoſa offert quæſtio: an magiſtratus à religione vera alienus, legitimus ſit & maneat magiſtratus? Pontificij pro firmiſſimo canone ponunt: quod omnis Princeps hæreticus ſit Tyrannus. *Bellarm. 5. de ſum. Pontif. c. 6.* unde & *Ioh. Dinardus Ieſuita* ſeqq: verba impudenter ſcribere non erubuit: Num Neronem Franciæ, Vulpem Bearniæ, Leonem Bortugaliæ, Lupam Angliæ, Gryphum Sveciæ, Porcum Saxoniæ reges appellabimus aut Principes? uti illa verba citantur *in tract. anno 1595. edito ſub hoc tit. Quæſtio parricidij intentati Henrico IV. p. 16.* Quibus ſe orthodoxi ſtrenuè opponunt, dummodo Princeps ille ſubditos ſuos ad civile bonum interim ducit: quia Evangelium & religio Chriſtiana non abolet politias, ad bonum civile & honeſtatem compoſitas, licet ad pietatem directæ non ſint: & Princeps ille retinet, adhuc fundamenta Principatus: uti argumentum, firmiſſimum dat ipſe Salvator *Matth. 28*, dum Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, dari, hoc eſt, eum agnoſci pro Principe, licet religioni addictus non ſit, mandat: *Cui adde dicta ſimilia ad Rom. 13. 1. Pet. 2. Keck. 1. Syſtem. 22.*

10. 2. Unitas, ut non plures ac diverſæ ſed una religio introducatur: Sicut enim Deus unus eſt, ita & unum ſe colendi modum, unam religionem in ſacris patefecit literis, cujus prævaricatio, cum ſummo à facie Dei conjuncta eſt periculo. *Ioh 14. in pr.*

10. Sed cum extra dubietatis aleam poſitum, à primis uſq; conditi mundi natalibus, innumeras de vero veri Dei cultu, in Eccleſia extitiſſe diſſenſiones, easq; funeſtiſſimas ſæpè clades fuiſſe ſubſecutas, magni momenti quæſtio orta: an non aliquando in Rep. plures unâ verâ religione ſint tolerandæ? pro negativa pugnant *Franciſc. Burghard. in autonomia: & Alth. c. 6. polit. in fin.* contra *Camer. in medit. hiſtor. p. 1. c. 58. Keck. d. loc. Domin. de Neve, diſcurſ. pol. 2.*

pol. 2. Timpl. 4. 2. pol. 2. & alij tradunt, poſſe magiſtratum, ſalvâ conſcientiâ religionis minus puræ exercitium, tam publicum, quam privatum ſubditis permittere; imitatum hac in parte exemplum navarchi periti, qui cum videt ob vim tempeſtatis adverſæ præſentis, ſe curſum directum in mari tenere non poſſe, obliquo & indirecto utitur, aut plane tempeſtati cedit, ne navis in extremum periculum deducatur. Quibus adſenſum noſtrum damus: Quia vel ipſe Deus, qui rex regum, & dominus dominantium, in ſua Rep: mundana omnibus ſeculis diverſas religiones publicè exerceri paſſus eſt: unde & apoſtolus in ſeqq: verba ſcribit: *oportet eſſe hæreſes*, fortè ut veritas & falſitas mutuâ inter ſe collatione melius hominibus innoteſcant: Addimus etiam, quod controverſia illa, quæ vera & pura religio, adhuc indeciſa fuerit, &, quia ſolius Dei opus eſt, quamdiu hæc mundi machina durat, erit: nullusq; ſit populus, qui religionem ſuam veram non judicet. Valdè igitur laudamus ſacratiſſimæ memoriæ *Car. V.* quod per Regem *Ferdinandum* fratrem pragmaticam ſanctionem de pace religionis ſolemni ſtylo concordiq; ſtatuum ſuffragio *Paſſavij anno 1553.* promulgari *Auguſtanisq; comitijs anno 1555.* ſub graviſſima pœna confirmari curaverit: §. in ſolcher fürgezogener Berahtſchlagung verſ. tractation des Friedens in beyder Religion &c. 5. ſeq. Vnnd damit ſolcher Fried auch der ſpaldigen Religion halber. Et hanc pacificationem verum Germaniæ Palladium eſſe, & absq; omnium ordinum convulſione è Germania noſtra tolli non poſſe ducimus. Utcunq; etiam Pontficij, & inter eos præcipuè impudentis illius ſcripti *de autonomia:* Oder freyſtellung mehrerley Religion promulgati autor, *D. Franc. Burghard. uti eum vocat P. Frid. lib. 1. de proceſſ. extrab. c. 29.* varijs Sycophantijs & calumnijs eam impugnet.

11. Cæterum, quia prædictâ pacificatione noſtrates, tanquam l. fundamentali, ad deciſionem cauſarum religioſarum controverſarum utuntur, hic inveſtigare lubet: an illa pacificatio ſemel ita confirmata poſtea unquam fuerit abrogata? quod negamus: nā meridianâ clarius luce eſt, pacificationē illā interim factā fuiſſe, donec generalis aliqua in œconomico concilio fieret reconciliatio, qua non ſubſecuta, pax in vigore ſuo illibata maneret:

§. vnnd nach dem eine vergleichung: verſ. 1. Solchen Frieden in allen obgeſchriebenen Articfeln biß zu Chriſilicher/ freundlicher vnd entlicher vergleichung &c. & ibi, Wo dan ſolche vergleichung durch die wege des Generals concilij, national verſamlungen / colloquien vnnd Rechtshandelungen/ nicht erfolgen würde/ ſol als dan nichts deſto weiniger dieſer Friedſtandt &c. beſtehen vnnd bleiben. At ejuſmodi conciliationem factam nunquam demonſtrari poteſt. Etſi enim ei proxima ab anno 55. deſtinata eſſent comitia §. So haben ſich der Churfürſten Rähte/ & ſ. vnd wiewol etzliche vnſer &c. propè finem, ob graviſſimam tamen negotiorum molem ejus tractatio ſubſecuta non eſt, ſed in colloquium Wormatienſe prorogata: *receſ. Ratiſpon de anno 57.* §. vnd als der Churfürſten verordnete Rähthe & ſeq. qui quidem cæptus eſt labor, ſed effectu omnino caſſus fuit: Quare & pax religionis denuo ſolenniter confirmata eſt *Auguſtæ an. 59.* §. dieweil aber daſſelb: verſ. vnd das nicht deſto weiniger der Paſſawiſche vertrag/ auch der darauff erfolgte/ vnd allhie im 15. Jahr beſchloſſene Religion Friede ſampt handhabung vnd beſchützung derſelben für vnd für kräfftig vnd beſtendig bleiben.

12. Concilium Tridentinum hic à papicolis unicè objicitur quo proteſtantium confeſſionem anathemate percuſſam, & pacificationi finem impoſitum ad ravim clamitant. Quod tamen à noſtratibus meritò rejicitur, quia contra morem conciliorum antiquum & ſolennem eſt inſtitutum: Is enim fuit, ut primitivæ Eccleſiæ conſvetudo & monumenta veterum teſtantur, quod autoritate Cæſaris conciliũ coactum & de judice primo omnium proviſum fuerit. At in illo concilio ipſe papa coëgit: Quo jure? an quia Epiſcopus univerſalis & ſupra Imp: etiam in mundanis? falſum. fuit pars rea, ut & judex in propria cauſa. annon egregium (ſcilicet) hoc eſt conciliũm! annon egregia (ſi dijs placet) damnandi & anathematizandi ratio? ô ſummam impudentiam, faſtum & ſtoliditatem! Papa, vel, ſi mavis, Epiſcopus, (non tamen ſummus, quia eadem poteſtas Alexandrino, quæ Romani eſt, in concilio Niceno can. 6. aſſignata eſt,) qui tamen ſuperiori tempore ſiſtebatur & ſubjiciebatur concilij deciſioni, ut evincit exemplum papæ Honorij, qui in concilio Conſtantinopolitano hereſeos Eutychianæ, cum cohæreticis & patriarchis Sergio Conſtantinopolitano

tano

Digitized by Google

tano atq; Cyro Alexandrino *2. tom. concil. fol. 61. 71. 73. & ſeq.* Johannis XXIII. qui hereſeos & ſummæ impietatis *2. concil. fol. 581.* damnabatur, ea,quæ ad conſtitutam imperij pacem & tranquillitatem Cæſaris atq; imperij autoritatem pertinent, tollere & abolere audet, obligationem inter Imperij ordines & Principem ipſum initam pervertere non erubeſcit, cum tamen ſine omnium, Imperatoris & ſtatuum Imperij autoritate & conſenſu in æternum tolli nequeat. *Uti textus eſt §.* Vnnd damit ſolcher Fried z *verſic:* ſo ſollen die Kâyſerliche Māy: wie auch Chur-Fürſten vnd Stånd *&c. Iuſtin. Spring. in tract. de pac. relig. c. 13.*

13. 3. Forma quoq; inſtituendæ ac introducendæ veræ religionis & doctrinæ obſervanda eſt: quæ requirit. 1. magiſtratū doctum & in ſacris bene informatum. 2. piorum virorum conſilium & operas. 3. libertatem publicam. 4. conventus & ſynodos.

14. Requirimus in magiſtratu, ut veram religionem ex verbo Dei intelligat, quia is non tantum corporum curator, ſed & mentium paſtor, non ſolum ſecundæ ſed & primæ tabulæ cuſtos eſt, & à Deo ipſo juſſus legem θεόσδοτον nocturnâ verſare manu verſare diurnâ, religionem legitimè conſtitutam tueri, collapſam mutare & inſtaurare, itaq; doctrinam dijudicare, in idololatras, blaſphemos, falſos doctores & ſeductores populi animadvertere: uti expreſsè docent ſacræ ſcripturæ dicta: *1. Tim. 2. v. 2. Pſal. 2. v. 10. & 82. 6. Eſa. 41. 23.* & exempla piorum principum *in V. T. 1. Paralip. 23. 24. 25. 26. 2. Paralip. 17. 4. 8. 9.* Quam quoq; poteſtatem Impp: Romani Chriſtianâ fide receptâ retinuerunt, & ll. tulerunt de rebus Eccleſiæ. *Nov. 7. 46. 53. 67. 120.* de locis ſacris & eorum privilegijs: *t. t. C. de ſſ. Eccl. & t. t. C. de his qui ad Eccleſ. conf. Nov. 9.* de perſonis Eccleſiaſticis, earumq; creatione, numero officio, immunitatibus: *t. t. C. de Epiſc. & cler. & t. t. ſeq. Nov. 3. 5. 7. 16. 56. 57. 79. 83. 123. 131. 133. 149.* De ceremonijs *t. t. C. ne ſacr. bap. iter. t. t. C. de ſtat. & imag. tit. C. vera lic. ſig. ſalv. N. 58. 59. 131. c. 8. 137. c. 6.* De diebus feſtis *l. ult. C. de fer. imò* de doctrina ipſa tam fidei, *t. t. C. de ſum. trin. t. C. de hæret. t. C. de apoſt. t. C. de judæ. t. C. de pag. N. 146. c. 2.* quam morum *C. lib. 5. tit. 1. 4. 5. 9. Nov. 12. 21. 140. 106. 110.*

15. Non ſatis igitur mirari poſſumus, quâ fronte & audacia,

ριὰ, Canoniſtæ Laicis Principibus omnem poteſtatem legis Eccleſiaſticæ condendæ, etiam in Eccleſiæ commodum cedentis, *c. Eccleſia 10. de conſtit.* adimere potuerint. *c. benè d. 96. c. lege d. 10. c. l. c. per Laicoſ. c. non placuit, c. laicis c. ſiquis principum 15. q. 7. c. cum Laicis de reb. Eccleſ. non alien. c. tranſlato de conſtit. c. ſacroſancta 51. c. Maſſana 57. de elect. c. cauſam 7. de præſcript.* aut qui Pontifex maximus (credat Judæus Apella) Romanus, Epiſcopatum univerſalem ſeu Principatum ſuper omnes totius mundi tum Eccleſias tum Epiſcopos arroganter ſibi tribuere auſus fuerit. *c. unam ſanctã extravag. comm: de major. & obed.* Illud tacitè præterire hic non poſſumus. Imp: noſtrum Juſtinianum *in Nov. 11. & 131. c. 2 3. 4.* Pontificis quidem προεδρίαν non eſt ἱεραρχίαν, primatum ſeſsionis & ordinis, non vero poteſtatis in cæteros agnoſcere. Quocirca *l. inter claras C. de ſum. trin.* non inter claras ſed obſcuras & ſuſpectas merito numerandam quemadmodum eleganter demonſtrat *Ioach. Clut. in ſyllog. th. 7.*

17. Cæterum antedicta omnia quomodo ſtatibus imperij conceſſa, bellè monſtrat pacificatio Paſſavienſis: ubi & hoc ſpecialiter cautum, ne ullus ſtatuum ob religionis mutationem dignitatibus aut officijs privetur, §. vnnd damit ſolcher fried verſ. ſondern bey ſolcher religion, Land/ Leuten/ Heerſchafften/ Obrigkeiten/ Herrligkeiten geruhlich vnnd friedlich bleiben laſſen & §. ſeq: ubi eadem verba repetuntur. §. als auch den Stånden: verſ: So ſol einem jedem Stand ſeine Weltliche Obrigkeit recht vnnd gerechtigkeit verhalten. Illud tamen de ſeculari dignitate & officio adſerta tautum eſſe ipſa conſtitutio ſatis probat. Et de Eccleſiaſticis planè contrarium diſpoſitum legitur §. vnnd nach dem bey vergleichung verſ: demnach haben wir/ quod nempe prorſus exauctorati diſcedere debeant. Contra quã tamen contrariã diſpoſitionẽ ſtatim ſtatus imperij multis ſupplicationibus, replicationibus & triplicationibus apud Cæſar. majeſt. interpellarũt, ut *Fr. Burgk. in autonomia ſua* latè recenſet. Unde & hodièã ſummis Principibus in graviſsimam trahitur converſiam; *an §. ille d.* vnd nach dem bey vergleichung de exauctoratione clericorum pro invalido & exauctorato cenſendus? Hic certè quid ſtatuendum vix videmus: affirmativam ipſarum Proteſtantium paucitatem & utilitatem

urgere,

urgere, non inficias imus. ſed quia textus nullus priorem §. *d.* abrogans dari poteſt, expreſſiſſimèq; conſtitutū, ne ullo modo contra conſtitutionem procedatur §. vnd ſol alles: verſ. auch dagegen kein declaration: & verſic: vnd wieder ſolches alles. putamus ipſo jure inſpecto negativam veriorem. *Iuſt. Sprin. d. tr. c. 18. diſſ. Mind. 1. de proceſſ. c. 29. v. 6.* ubi inprimis conſvetudinem urget.

18. Non autem ſufficit ipſum Principem & magiſtratum doctrinæ ſacræ peritum eſſe, quia impoſſibile eum omnia ad ſtatum eccleſiaſticum pertinentia, poſſe conſiderare & perpendere ſufficienter, utpote cum tot alijs gravibus curis ſit diſtrictus: quare & valdè utile, imò ſummè neceſſarium eſt, eum habere & alere, viros excellenter religioſos pios & doctos, quibus tanquam, adjutoribus & conſiliarijs utatur, cum in reformatione, tum gubernatione Eccleſiaſtica. *Keck. 1. Syſt. ult. p. 519.* ubi laudat Electoris Palatini, duplices conſiliarios, politicos & Eccleſiaſticos alentis conſvetudinem: juxta quam & laudatiſſimæ memoriæ comitem Phil. Lud. Hanovienſem, aulam ſuam ſuperioribus annis reformaſſe meminimus.

19. Requiritur inſuper libertas veræ religionis, ſeu ejus colendæ facultas libera & ſpontanea, absq; omni metu, minis vel alio quovis modo intentatâ coactione prorſus aliena alterutrius amplectendæ, profitendæ religionis voluntas: quia fides ſvaderi non cogi vult, nullúsq; magiſtratus ſibi in conſcientias imperium vindicare poteſt, exemplo *Stephani* Poloniæ regis, qui expreſsè edixit: Nolle ſe conſcientijs dominari, ſiquidem Deus ſolus hæc tria ſibi reſervârit, nempe creare aliquid ex nihilo, noſſe futura, & dominari conſcientijs, plantanda igitur & propaganda religio ſolâ Spiritus Dei virtute, quæ expeditur inſtrumentis ſpiritualibus, nempe verbo Dei, ad dilucidè docendum, nervosè arguendum, & ſeriò hortandum idoneo. *Aut. de jur. maj. q. 10. Bod. 4. de Rep: 7. Lipſ. 4. de civil. doct. 4. Antimac. 3. de Rep. adm. theor. 1. Keck. d. loc. p. 522. Timpl. 4. pol: 2. q. 3.*

20. Et ea libertas expreſsè in pacificatione noſtra ſtatibus eſt indulta, *in* §. vnd damit ſolcher: ubi cavetur quod nemo, contra ſuam conſcientiam, ſcientiam & voluntatem religionis cauſa cogi

 vel

vel offendi debeat, ſed ab omni inquietudine prorſus ſit immunis, ſive violenta ſit illa, vi, minis, mandatis aut quovis modo facta, ſive injurioſis verbis aut factis injurioſis intentata: *d. §. verſ.* ſo ſollen die Stände des Reichs & *ſ.* dargegen ſollen: *ſ.* nach dem aber in vielen *ſ.* es ſol auch kein Standt. Sed liberum religionis alterutrius exercitium, in fidei; publicè docendo ſcribendo &c. profeſſione, ceremoniarum rituumq; obſervatione, ſacramentorum adminiſtratione conſiſtens. *d. §.* vnd damit ſolcher Fried: ibi von dieſer Augſpurgiſchen confeſſion. Et ea quidem libertas ijs, non ſolum in proprijs regionibus & ditionibus, ſed & alienis territorijs, ſive ibi permanendi ſive ad tempus tantum commorandi animo degant, conceſſa eſt, §. dagegen ſollen die Ständ 2. verſ: ſampt vnd mit jhren Capiteln.

21. Eſt inquam ea libertas conceſſa ſtatibus, ſcil. Imperij, quales poſt Imp: & Cæſarem eſſe principes, prælatos, comites, Barones immediatè imperio ſubjectos, civitates Imperiales, & nobiles liberos, *in ſuperioribus diſputationibus* diximus, non provincialibus, ut demonſtrat *edictum Ferdin.* paulò ante pacificationem editum: *quod vide apud Spring. tract. d. cio.*

22. Sed cum nonnulli ex ijs præter imperium ratione feudi ſuperiori quoq; ſint obligati; *Gail. de arreſt. c. 7.* (uti Barones zu Waltburg die H. Erbbruchſeſſe ſunt & ſtatus imperij & provinciales Auſtriæ ſtatus) graviſſimè in Camera digladiatum eſt, an etiam hiſce terris feudalibus religionis libertas eis competat? Affirm: quia hujuſmodi privilegium exemptionis per inveſtituram non immutatur: non enim vaſalli fiunt ſubditi, licet aliquando impropriè reſpectu fidelitatis & ſervitiorum ſic apellentur. *ſecundum Bart. Socin. Zaſium & alios:* Et quamvis feudum ſit mediatum, libertati tamen religionis nihil officit; quæ tantum ratione perſonæ conſideratur, non ratione bonorum in feudum acceptorum: *Mind. l. de proceſſ. c. 32.* illud tamen ſecus eſt in vaſallis ijs, ex quibus præſtatio ſervitiorum, comparitio ad comitia provincialia, collectarum ſolutio, ad curiam domini appellatio & cætera munia exiguntur: *Gail. de arreſt. c. 6. n. 14. & ſeq. Spring. d. loc.*

23. Vehementiſſimè quoq; quotidie diſputari audies: an

cives

cives in civitatibus imperialibus eadem religionis fruantur libertate, quâ alij imperij ſtatus, ita ut ijs volentibus ſenatus pontificius auguſtanæ confeſſionis exercitia permittere teneatur? negat: (quamvis meliùs & tutiùs ſit facturus, ſi permittat) de jure verior & à Cameralibus recepta eſt: Quia conſtitutio religionis in civitatibus Imperialibus ſecundum præſcriptum cæterorum ſtatuum conformari debet: §. nach dem aber verſ. wie oben beyder Religion halben verordnet: Quorum poteſtas conſtituendi ſuperioritatem immediatam requirit: §. vnnd damit verſ. *in jhren Fürſtenthumb/Herſchafft*: At cives, quatenus ſunt cives, immediatã juriſdictionem non habent, ſed æquè privati ſunt ac reliquorum ſtatuum ſubditi, qui in præjudicium magiſtratus ſui religionem mutare nequeunt citra rebellionis moliendæ notam: ſi tamen in quibuſdam civitatibus Imperialibus ante religionis pacem promiſcua in uſu fuit religio, ſecus eſt, tum enim magiſtratus in impediendo exercitio poteſtas refrænatur: §. vnnd nach dem aber in vielen verſ. vnd derſelben frey vnnd Reichsſtädt. *vide Mind. d. l. 1. c. 31. & Gylm. tit. 3. Symph. ſuppl. & rer. judic. p. 177. & ſeqq.*

24. Præterea dubitari poſſet, an ſi Imp: libertatem religionis ſtatui cuidam mandatis impedire conetur, num ijs obtemperandum? Et expedita eſt reſponſio; quod minimè: idq; probat & jus divinum, dum Deo magis quam hominibus obedire jubet: & humanum, quod reſcriptum Principis contra jus divinum ipſo jure nullum eſſe docet. *l. fin. C. ſi contra jus vel util. publ. c. quæ in Eccleſia & ibi. Dd. de conſtit. Dec. in l. non uni §. qui juſſu n. 4. de R.I.*

25. Hic inſuper perpendenda ſcrupuloſiſſima eſt quæſtio: an, quia privatis emigrandi cum uxoribus & liberis data libertas, ſ. wo aber vnſere auch der Churfürſten: manere poſſint, & privatim, absq; publico eo loci, ubi degunt, adverſæ religionis exercitio, conſcientiæ libertate frui queant? imò an diebus dominicis, alio ubi ſuæ religionis exercitium domicilium habeat ſartum tectumq; cultus ſui peragendi cauſa ſine offenſione & moleſtia, haud ſecus ac ſubditi cæteri ſe conferre poſſint? In hujus deciſione Cameralium vota ſemper diſſona fuiſſe teſtis eſt *Gylm. ſymph. ſuppl. tom. 1. p. 1. f. 2. rer. jud. deciſ. 55. 56.* ita ut adhuc ſub judice lis ſit, & vix ante generalem ſtatuum conventum dirimi, nedum hac noſtra collatione

Z 2 expediri

expediri poſſit: interim tamen breviter mentem noſtram de ea ſubjiciemus. Affirmativam, communi quaſi Proteſtantium calculo receptam, bellicosè propugnat *Mindan. d. lib. 1. c. 30.* 5 præcipuè rationibus, ex ipſa pacificatione deſumptis: quæ tamen antagoniſtarum ictus ſuſtinere nequeunt, & facilè repelluntur, quia illa pacificatio non agit de privatis, ſed imperij ſtatibus: *ut expreſſus textus eſt in §.* damit ſolcher Fried & §. es ſol auch kein ſtandt den andern: Eſt igitur aliud quærendum ſubſidium: quod eſſe non abſurde poteſt edictum *Car. V.* ante pacificationem anno 30. promulgatum, in quo *in §. item* etzliche Obrigkeit haben jhren Vnterthanen &c. Proteſtantium quorundam improbat iniquitatem, uſum religionis antiquæ extra ditionem ſubditis ſuis interdicentium: Quo jure cum ſuam religionem gaudere voluerit, dubium non eſt, quin eadem juris æquitate erga noſtram animatus fuerit. Quare, cum hic articulus per poſteriores conſtitutiones non ſit abrogagatus, meritò ſtabit, & poſteriores ad priores non contrarias referendæ erunt. *l. ſed & 28. de ll. l. ſanctio ff. de pœn.* cui ſuffragatur & ipſa æquitas, quæ humanitati nihil adverſius eſſe evincit, quam homini ob cultum divinum aqua & igni interdicere, cumq; ſine ullo facinore commiſſo, ſed in officio ſe continentem & magiſtratui morem gerentem, terris protinus expellere, præſertim erroris in ſua confeſſione nondum convictum, & publica ſalus & tranquillitas, quæ aliâs vix ſervari poteſt: quia ea verbi divini eſt conditio, ut nullis violentiæ catenis ſe patiatur conſtringi, ſed quo magis opprimitur, eò alacrius renitatur. Teſtantur hoc ævi noſtri in Gallia, Anglia, Belgio, Svevia, Hungaria, & alijs terris experimenta frequentiſſima, quæ vel à limine ſaltem hiſtorias ſalutanti non poſſunt eſſe obſcura. *ut hæc omnia latiùs exponit Spring. d. tr. c. 11.*

26. Ad formam religionis inſtituendæ requiri diximus, ſynodos atq; conventus, ut neceſſitate poſtulante in ijs de verâ religione ex verbo Dei definitâ decreta fiant: *Zepp. 3. pol. Ecc. 1.* De ſynodorum legitima ordinatione, proceſſu & convocatione multa hinc inde traduntur. Quæ tamen cui competant, Imperatori an Papæ, dubium, ita ut vix una generalis in poſterum ſperari poſſit. Antiquitus tamen penes Imp: ſolum fuiſſe extra controverſiæ aleam ponimus.

27. Tantum

27. Tantum de doctrina, ſuccedit diſciplina Eccleſiaſtica, ad quam referri poteſt. 1. cognitio de religionis veritate: quam Pontificij in Auguſtanam confeſſionem ejusq; ritus, ll. & ceremonias olim ſibi ſumebant, ſed prohibiti ſunt §. damit auch obberürte/ ibi ſo ſol die Geiſtliche Juriſdiction. 2. cognitio de cauſis ſpiritualibus, ut juramentis & ſimilibus, quam ijdem ſibi arrogârunt: Sed eam, licet *d.* §. non ſit prohibita, quin potius permiſſa *verſ. in ander ſachen*, inveterata conſvetudo & aliquot ſupremi conſiſtorij præjudicia detraxerunt. 3. Excommunicatio, quæ eſt excluſio à communione tam ſacrorum quam profanorum, cum infamia tali, quali in terra nulla major, quam tamen pontificij etiamnum ineptè ſibi attribuunt. ut & cenſuram epiſcopi, ſine qua patronus ſuæ religionis miniſtrum præſentare nequeat, ſed falsò. *Mindan. d. lib. 1. c. 30. n. 7.* Nec non judicium ſuper fracta religionis pace: ſed ſtultiſsime: ſpectat enim non ad forum Eccleſiaſticum, ſed ad imperialem Cameram: *Mindan. d. loc. num. 9. Gylm. in ſymph. rer. judic. dec. 56. pag. 967.* 4. obſervatio ll. latarum de ritibus, ceremonijs, tempore, quo ſacra habenda, quale eſt vel dies dominica vel feſtum Chriſtianum: ubi magiſtratus prohibeat, ne actionibus illicitis, ut choreis luſibus, vel ijs rebus, quæ quidem per ſe honeſtæ ſunt, velut mercatus aliæq; negotiationes, diebus tamen alijs fieri debebant, ſacrum profanetur: *Zepp. 1. pol. Eccl. 15.* 5. inquiſitio in doctrinam, vitam, mores & docentium & diſcentium, ob quam hodiè ſpeciales conventus in ſuis ducatibus & territorijs Principes & comites imperij inſtituere ſolent, per ſingulariter ad id deputatos Superintendentes. ſeu inſpectores:

28. Hujus loci quæſtio eſt, an ſtatus aliquis Catholicus Landſaſſios vel alios ſubditos Auguſtanam confeſſionem profitentes, aut ejus ritibus privatim utentes, Eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjicere queat? cujus in utramq; partem argumenta plurima ſunt à cameralibus allata, quæ videri poſſunt *apud Gylm. ſymphor. ſupplic. tit. de pac. relig. & rer. jud. deciſ. circ. f. 2:* Ipſe diſſolvendi nodus ex quæſtione ea dependere videtur, an Landſaſſij vel alij ſubditi privilegium habeant privatim ſaltem exercendi religionem. *de qua th. 25.*

 29. Ad

29. Ad eandem quoq; diſciplinam Hæreticorum pertinet coërcitio: quod à nemine unquam indubium vocari poterit: ſed an capitali ſupplicio in hæreticos Magiſtratui animadvertere liceat? dubium eſt maximum. In qua quæſtione primò controverſiæ ſtatus dextrè notandus: qui non eſt, an hæretici, illi præcipuè, qui hæreſes ſpargunt, alioſq; ſeducunt, ſint puniendi vel coërcendi? ubi omnium eſt affirmativa: neq; is, an illi hæretici puniendi, qui ſunt aut facinoroſi aut ſeditioſi, pacis publicæ & civilis violatores: ubi omnium affirmativa pariter: ut nec ille, ſi ſint blaſphemi, qui absq; fronte & manifeſtis verbis Deum patrem, filium & S S. blaſphemant: Nam eo nomine de judæis olim ſupplicium ſumptum eſſe annales teſtantur: ſed an hæretici ut hæretici auferendi ſeu capitis pœnâ afficiendi? Affirm: tenent indiſtinctè omnes, qui ubera Antichriſti ſugunt, Pontificij ſanguiſugæ: Nos negativam amplectimur cum orthodoxis omnibus, cum diſtinctione inter V. & N. Teſtamentum: illic licitum propter mandatum Dei capitaliter hæreticos occidere: ratio diſpoſitionis illius divinæ, triplex dari poteſt. 1. deſumitur à tempore, quia nuper admodum hunc ſibi populum in peculium elegerat Dominus, varijs, immenſis planè; miraculoſis & extraordinarijs beneficijs affecerat. 2. à loco, quia fuit exiguo ſpatio intra unius populi terminum circumſcriptus: & ſic facilius executio locum habere potuit: quamvis nec inter illos ſemper executionem obtinuiſſe ſciamus. Cum enim tota tribus ſæpè defeciſſet, nunquam legimus copioſum ſanguinem religionis cauſa profuſum fuiſſe. 3. perſonæ, ipſius Meſſiæ ſcil: ne populo in factiones diſtracto, & gentilibus mixto, dubia redderetur Meſſiæ præſentia, quem ex illo populo & ex illa regione juxta promiſſionem Dei exſpectabant. In N. vero T. ſecus eſſe dicimus: quia nullum de ea re mandatum extat, quin imò planè contraria ipſius Chriſti teſtimonia leguntur: *Matth. 13. v. 29. 30. Luc. 9. v. 54.* quibus adde prohibitiones Paulinas *2. Cor. 10. v. 4. 8. & 13. v. 2. Tit. 3. v. 10.* & epiſt. *Ioh. 2. v. 6.* Quin & idem dudum de Eccleſia N. T. prædictum fuit à Prophetis, quod ſine cæde & ſanguine propagatura ſit doctrinam Evangelij. *Eſa. 11. v. 6. 9.* Hiſce addunt cum apoſtolicam

tum

tum veteris Eccleſiæ praxin. *vide elegantiſſimam diſputationem Rev. Dn. Aſſelm. de hæreticis ferendis non auferendis;ſuperiori anno in almo hoc Roſeto diſputatam.*

30. Sequitur legitima Doctorum idoneorum vocatio, quæ quoq; cuivis ſtatui conceſſa, adeo ut tot adſciſcere poſſit, quot ad fidem ſuam propagandam viſi fuerint: quatenus nimirum citra adverſæ religionis offenſionem ſuo perfungantur officio: ſi vero adverſæ religioni adhærentes verborum lenocinijs ad defectionem ineſcare, & clancularijs inſuſurrationibus ad ſe peliicere velint, ſupplicari contra eos poterit: *arg.* §. Es ſol auch kein ſtandt *verb. abpracticiren: vide Gilm. d. t. de pac. relig. p. 199.*

31. Huc referri poteſt jus patronatus, quod eſt, *definitore Lancel. in Inſtit. h. t.* poteſtas præſentandi ad beneficium vacans; & eſſe poteſt vel penes unum vel plures, dummodo hi, in præſentando omnes, vel major pars conveniant: *c. 3. X. h.t.* tametſi patroni inter ſe paciſci queant, ut alternis vicibus ſinguli præſentent *c. 2. de jur. patron. in 6.* Quomodo & quando præſentatio illa fieri debeat: *vide apud Mindan. lib. 3. de contin. cauſ. c. 19. n. 17. Spring. tract. d. c. 11. Covar. pp. qq. 35.*

32. Hactenus de exercitio religioſo: reſtat, ut de rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione aliquid etiam addamus, ad quem referimus: 1. templorum & collegiorum extructionem & conſervationem: 2. Eccleſiaſticorum bonorum & redituum curam.

33. Ad primum quantum, ibi curam adhibebit magiſtratus, ut commodè exædificet, non in locis nimium diſſitis, ne religionis exercitium frigidiùs expediatur, & ſi exædificata jam ſint, convenienter conſervet, & ſi opus reficiat. Et ea quoq; licentia extruendi ſine operis novi enunciatione ſtatibus conceſſa eſt: §. vnnd damit ſolcher Fried: verbis: ſo ſie auffgericht vnd in künfftig auffrichten würden: juncto §. ſeq: auch mit der thadt oder ſonſten in vnguten gegen denſelben nichts fürnehmen &c. quæ licet de Pontificijs ſint dicta, ob eandem tamen rationem ad Auguſtanam confeſſionem ſunt extendenda; quia ſine ijs exercitium publicum conſiſtere nequit: *arg. l. 2. ff. de jurid.*

34. Cura bonorum Eccleſiaſticorum conſiſtit in eo, ne à

vero

vero uſu ad uſus profanos transferantur: Uſus autem illorum bonorum verus eſt, ut pars deſtinetur ſtipendijs miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum ſtudioſorum, pars pauperibus alijs alendis, pars alia rurſus ædibus ſacris extruendis & reparandis: *Wilh. Zepp. 1. pol. Eccl. 23.* De bonis pacificatio iſta etiam diſponit, diſtinguendo inter bona patrimonialia, quæ poſſeſſoribus intacta relinquuntur, ita ut eorum liberam & religionis intuitu non prægravatam habeant diſpoſitionem: §. vnd damit ſolcher Fried verſic: ſonderlich ſolcher Religion auch jhren haab: Et Eccleſiaſtica: de quibus diſpoſitio gemina: 1. de ijs quæ pijs uſibus ſunt applicata: de quibus §. dieweil aber etzliche Ständ. 2. de ijs, quæ ad pios uſus non ſunt converſa: de quibus §. als auch den Ständen der alten Religion/ §. dargegen ſollen Ständ: verſic: Renthen/ Zinſen/ Zehenten &c.

35. Verum hic dubitatur, an vox illa poſſeſſionis *in d. §. dieweil:* De naturali poſſeſſione, an civili accipienda ſit? e. g. fingamus civitatem Lubecam occupaſſe tempore tranſactionis Paſſavinæ quædam monaſteria, eaq; etiamnum poſſidere: extra dubium eſt; Lubecenſes naturaliter poſſidere, capitulares civiliter: de quibus igitur poſſeſſoribus capienda conſtitutio? *Spring. d. ſæpè tract. c. 9.* de naturali poſſeſſione & corporali rei inſiſtentia accipit per verbum *eingezogen*, quod denotat detentionem realem & injuſtam: unde concludit & verba vnd deren poſſeſſion de ea intelligenda, quia verba ſeqq. ex antecedentibus declaranda, maximè ſi obſcura ſunt. *l. quoties ff. fam. hercisc.*

36. Hucusq; de cura religioſa fusè ſatis, ſequitur, ut & de literaria ſeu ſcholaſtica paucis dicamus, cujus quoq; ſumma & utilitas & neceſſitas eſt in Rep: eſt enim religionis & virtutis nutrix, eſt linguarum & artium officina, eſt arteria in Eccleſiam orthodoxam religionem, in Remp: pacem & concordiam diffundens. *Thol. 13. de Rep. 3. Hippolit. a coll. de increm. urb. cap. 11. Caſ. in Sphær. c. 11.*

37. Ea cura dupliciter expeditur, fundatione & conſervatione ſcholarum, in illa requiruntur. 1. reditus certi & neceſſarij. *Zepp. 1. pol. Eccleſ. 23. Dan. 3. pol. 2.* 2. locus idoneus, certus ſalubris & à tumultu remotus: *Thol. 18. de Rep. 6* 3. conceſſio privilegiorum

giorum & immunitatum, tam aparte diſcentium quàm docentium *latè Petr. Rebuf. Horat. Luc. Pet. Heig. 22. q. 11. Zep. 2. pol. eccl. 12 Dan. 4. pol. 3. Thol. 18. de Rep: 7.* 4. legum certarum rogatio; quo & referri poteſt ordinatio cum typographiæ, tum bibliothecæ *Thol. 16. de Rep: 7. 8. 9. Patrit. 8. de Rep: 15.* Hæc conſiſtit in conſtitutione ſcholarcharum, deinde in procuratione legitimæ ſcholarum adminiſtrationis. *latè Hœn. diſp. pol. 5.*

38. Fundari autem poſſunt & debent ſcholæ, tam pro pueris, quam puellis, tam in pagis quam oppidis, de quibus latè videndus *Keck. 1. ſyſt. 9. Zepp. 1. pol. Eccl. 9.* quare & variè diſtingui poſſunt, frequenter tamen dividuntur in particulares ſeu triviales & univerſales.

39. Scholas triviales quilibet magiſtratus in ſua provincia ordinare & debet & poteſt: earum autem laus & gloria in eo poſita eſt ut ſuum quisq; munus tam præceptores quam diſcipuli exequantur.

40. Præceptorum officium potiſſimum in duobus eſt poſitum: 1. in inſtillatione doctrinæ, quæ duos fines propoſitos habet, cum; cognitionem rerum, ad quam inſtillandam conducit plurimum, 1. ordo in docendo, cujus magna vis, *teſte Eberh. in top. loc. 1.* 2. dexteritas. *l. 57. ubi Gedd. de V. S.* ne onerentur nimis tenelli diſcentium animi, quare neceſſaria & utilia ex ſingulis diſciplinis & autoribus, apum inſtar, omiſſis inanibus cavillationibus, congerant, ſeparent & proponant, tum facultatem res animo conceptas propriâ & perſpicuâ oratione explicandi ad quam conducit exercitatio ſedula, quæ eruditionem conſummat, format judicium, acuit ingenium, medetur arrogantiæ. 2. in morum informatione & animadverſione in delinquentes, ratione tamen moderatâ: Nam ſævitia præceptoris nimia inulta nō relinquitur *l. 5. §. fin. l. 6. ff. ad l. Aquil.*

41. Officium diſcipulorum his ferè partibus conſtat: 1. docilitate, ne in addiſcendis artibus adducti arrogantia & φιλαυτία contemnant aliena judicia, nec falſas opiniones pertinaciter tueātur, ſed ut alios audiant, convicti certis argumentis cedant, & veris ſententijs firmiter adhæreſcant: nec ſtatim improbent, quod non intelligunt, ſed tanto magis admirentur, quo minus intelligunt. 2. ſtudio & diligentiâ. 3. obedientiâ ſine ſignificatione contumaciæ,

& inhoneſta gubernatione morum, & in ratione diſcendi à fideli præceptore præſcriptâ. 4. gratitudine, obquam *M. Antoninum Imp:* perpetuâ gloriâ illuſtrem legimus, quod magiſtris ſuis tantum honoris detulerit, ut imagines eorum aureas in Sacello Laris habuerit. *Capitol.*

42. In Scholas quo anno introducenda juventus inter politicos quæritur? *Keck. i. Syſt. 9.* annum 7. conſtituit: *M. Iun. q. pol. 40.* putat inſtituendi curam inde ab ipſis quaſi incunabulis inchoandam, hac tamen prudentiâ & cautione adhibitâ, ne multo diſcendi labore onerentur pueri, ſed ſint ſpectatores magis eorum quæ percipienda, quam diſcipuli & actores: Priorem de publica, poſteriorem de privata inſtitutione accipimus.

43. Dubio non caret, an parentes cogi queant, ut liberos ſuos in publicam inſtitutionem tradant? Affirm: licet quibuſdam parentibus dura videatur, veram ducimus, quia liberi non ſolum parentibus, (qui præ avaritia nolunt liberos ad liberalia ſtudia educare) ſed & patriæ ſeu Reip: naſcuntur, quare & huic educendi: educuntur a. non melius niſi publicè, quia domeſtica educatio ob amorem nimium nimis mollis: quin & domi & in ſecretis ingenia liberorum vel langueſcunt, vel quendam velut in opaco ſitũ ducunt, aut contra inani perſvaſione tumeſcunt: neceſſe eſt n. nimiũ ſibi tribuat, qui ſe nemini comparat: *ait præclarè Quinct. lib. 1. c. 3.*

44. Scholæ univerſales ſeu Academiæ ſolius Imp: autoritate & poteſtate eriguntur, confirmantur (ſi ab alijs dotentur aut ædificentur) privilegijs & immunitatibus exornantur: *Vult. de Ff. c. 5. n. 7. Frid. Pruckm. de Reg. c. 3. n. 2. Ordin. Cam. p. 1. t. 3.* §. deſsgleichen ſollen die Beyſitzer. ibi in univerſiteten, welche zum weinigſten von vnſern Vorfahren/ Römiſchen Käyſern vnd Königen/ der jtzigen Käyſ: Mayt: oder vns *confirmiret.* Solus inquam Imp: hanc poteſtatem de jure habet, quamvis & à Pontifice eas confirmari & erigi de facto & longâ conſvetudine receptum ſit, quales in Germania multæ ſunt. Minimè ergo probanda illorum opinio, qui pro Academijs non habendas eas autumant, quæ pontificis confirmatione munitæ non ſunt, non ſolum n. ipſi Imp: ſed & florentiſs. quibuſdam Germaniæ Academijs injuria ea ratione inferretur. Quare ſive ab Imp: ſolo, hodiè Academiæ erigantur & confirmentur pro Academijs habendæ ſunt.

45. Aca-

45. Academijs illis,& nullis alijs Scholis competit jus inſi-gniendi aliquem titulo Doctoris, Licentiati, Magiſtri, Baccalaurei in ſingulis facultatibus. *Ferrar. Mont.de Fſ.l.2.c.1.V.* Regalia. *A. Pereg.de jur. fiſc. lib.1. tit.1. n.27.* Quando & ubi certi illi gradus ordinesq; promotionum introducti fuerint,non apud omnes, convenit: pleriq; tamen putant, in jure primò doctoratum eſſe, â Lotario per Irnerium Cancellarium, promovendi illius ſtudij antè plane ſuppreſſi, ab eodem reparati, cauſa conſtitutum, & ſub Clemente XV. in concilio Vienenſi anno 1311. approbatum.*Duar.lib.5.benef.Eccl.c.13.n.2. Middendorp de Acad.lib.1.c.7.* poſtea idem privilegium promovendi ad Pariſienſes translatum, ubi Petrus Lombardus primus Theologiæ Doctor creatus,Piſisq; eandem dignitatẽ medicis conceſſam fuiſſe. *vide Mat. Dreſſ. millen.6.p.208.& ſeqq.* Hodiè a.omnes Academiæ eo jure privilegiari ſolent: quarum multæ florentiſſimæ non modo in Germania,ſed & finitimis regionibus numerantur:in Germania 25. Baſilienſis, *inſtituta ab eo ſenatu anno Chriſti 1459.* Heidelbergenſis, *fundata à Ruperto Ruffo Electore Palat. 1346. confirmata 1387.* Marpurgenſis *à Philippo Landgravio 1526.* Jenenſis, *à Iohanne Friderico 1. electore Sax. 1548.* Julia Helmſtadiana *à Iulio duce Luneb. 1576.* Francofordiana *ad oderam à Ioachim I. Elect.Brand. 1506.* Wittenbergenſis *à Friderico III. Elect. Sax. 1503.* Tubingenſis *ab Eberhardo VVirtenbergico 1477.* Argentinenſis, *à ſenatu Argent. 1567.* Viennenſis *Auſtriæ à Rudolpho & Alberto III. Auſtriæ Archiducis. FF. germanis 1361.* Colonienſis *ad Rhenum operâ Senatus 1388.* Erphordiana *à Dagoberto Francorum Rege olim condita à Bonifacio IX. pont. privilegijs ornata 1391.* Herbipolenſis,*à Iohanne epiſcopo 1403.* Kipſienſis. *à Friderico I.Elect.Sax.1409.*Roſtochienſis *à Iohanne & Alberto primis Ducibus Megapolenſibus & pariter à ſenatu hujus urbis 1415.*Friburgenſis *in Briſgoia ab Alberto IV. Arch. Auſt. 1460.* Ingolſtadiana, *à Ludovico & Georgio patre & filio Duc Bavar. 1472.* Moguntina *à Diethero Iſenpurgico Archi epiſc. Mog. 1482.* Regiomontana *Boruſſorum ab Alberto I. March. Brand. primo duce Boruſſiæ 1844.* Altorfiana *in Norico, à ſenatu Reip. Norinberg.1575.*Gryphiſvvaldiana *à Uratislavo IX. Duce Pomer. 1456.* Gieſſena *à Ludovico Haſſ. Landgr. anno 1607.* Leidana *Batavorum 1575.* Dillingana *in Suecia, fundata ab Orthone Truchſeſſio VValpurgio Epiſcopo Auguſtano & Cardinali.* Duacenſis *in Belgio fundata à Philippo II. R. Hiſpan.* Gallia Academias habet 5. Pariſienſem *à Carolo M. anno 791. conditam.* Lugdunenſem, *anno 830.* Montiſpeſſulanam *an.1196.* Aurelianenſem *à Philip: R. Gall & Clem V.*

Lemo-

Lemoviæ pp. 1312. Andegavenſem *à Ludov. I. Duc Andegav. Rege Sicil. & Neapol.* Italiæ Academiæ ſunt 6. Bononienſis *in Romanula Ciſpadana condita 9. maj. A.C. 423. à Theodoſio II. Imp.* Ticinenſis *Inſubrium à Car. M. fundata an. 791. inſtaurata 1361. à Car. IV. Imp:* Patavina *à Frider. II. Imp: 1221.* Peruſina *in Hetruria 1290.* Piſana *inſtituta à Laurentio Medice Pr. Florentino 1319.* Senenſis *à Pio II. pp. 1387.* Angliæ Academiæ ſunt 3. Cantabrigienſis, *à Siguberto Orientalium Anglorum Rege aperta 630.* Lindifarnenſis *ab Oſwaldo Northumbrorum Rege 640.* Oxonienſis *ab Alfrido R. Angliæ.* Hiſpaniæ ſunt 5. Conimbricenſis *à Iohan. II. Reg. Portugal.* Toletana *à Fr. Alvaro.* Hipalenſis *à Roderico de S. Ælià.* Granatenſis *à Fernando Talabricenſi* Complutenſis *in Regno Caſtellæ à Fr. Ximente Archiepiſci Tolet. 1517.* Dania habet Hafnienſem *condita à Chriſtiano III. Reg. Dan. 1539.* Polonia Cracovienſem *à Caſimiro II. R. Pol. 1364. confirmata 1400. à Uladislao Iagellone.* Bohemia habet Bragenſem *à Car. IV. Imp. 1361.* Brabantia Lovanienſem *à Iohan. Duce Brabantiæ 926.* Scotia Sanctandreanam *1411.* Burgundia Dolanam *à Philip. Bono, Duce Burg. 1426.*

ΠΑΡΕΡΓΑ ex tit. 14. 15. lib. 3. Inſtit. Imper.

1. Juſtiniani methodum ſeqq. & probantes obligationes non ad perſonas ſed ad res referimus.

2. Obligationem & contractum differre non dubitamus.

3. Mutuum dans ſemper dominum eſſe debere exiſtimamus.

4. Creditori invito aliud pro alio, aut particulatim ſolvi non poſſe certò dicimus.

5. Nummorum bonitate mutatâ in reſtituendo mutuo, ſemper ſecundum eam bonitatem faciendam ſolutionem, quam habuerunt contractus tempore affirmamus.

6. Civitatem mutui datione cum civium vel civitatis conſilio ſibi factâ obligari dubium vix eſſe arbitramur.

7. Mutuum conſumptione fide bonâ, non malâ, reconciliari ducimus.

8. Mutuum in uno etiam nummo conſiſtere poſſe judicamus.

9. Actionem commodati compenſationem admittere firmiter ponimus.

10. Commodatarium ad culpam leviſſimam præſtandam teneri tenemur.

11. Si res commodata incendio conſumpta vel furto deperdita ſit, commodatarium teneri non admittimus.

12. Commodatarium tamen per pactum generale de omni periculo ad caſus fortuitos ſe obligare tuemur.

13. Depoſitum in rebus immobilibus conſiſtere cum communi Dd. calculo negamus.

14. Depoſitum tam in litigioſis quam aliis rebus conſiſtere poſſe ſtatuimus.

15. Ex pacto creditorem pignoris poſſeſſionem propriâ autoritate nolente creditore apprehendere non poſſe defendimus.

16. Debitorem ad prius pignus liberandum, æquè idoneum offerentem, non audiendum concludimus.

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO DUODECIMA

DE

CURA SUBDITORUM EXTRINSECA,

UBI DE CENSURA, ET RERUM ADMINISTRATIONE.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,

ex lib. 3. Inſtit. Imp: tit. 16. & ſeqq: ad 23.

Quam

DIVINO ADSPIRANTE NUMINE

IN ALMA HAC ROSARUM ACADEMIA,

PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO

Solitarienſi,

PROPUGNABIT

HENRICUS Tetzen/

Ad diem 13. Auguſti.

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

Prudentiſsimis, doctiſsimis, ac ſenatorij ordinis Neobrandenb: conſultiſsimis viris,

DN. GEORGIO Tetzen/ fratri ſuo germano dilectiſsimo.

UT ET

DN. FRANCISCO Büllen, Notario pub: & affini ſuo chariſsimo.

Has ſtudiorum ſuorum primitias amoris & honoris ergo dedicat & offert

HENRICUS Tetzen Neobrand. Megap.

Digitized by Google

Disp. XII.

DE CURA SUBDITORUM EXTRINSECA, UBI DE CENSURA, ET RERUM ADMINISTRATIONE

Thesis I.

PErluſtratâ *diſput. priori* curâ hominis intrinſecâ, de extrinſeca in præſentia quædam adjicienda, quæ verſatur vel circa ſubditos tantum, vel circa eos & peregrinos: horum curam in ſequentem conflictum rejicimus.

2. Cura erga ſubditos tantum commodè expeditur cenſurâ, quæ animadvertit in ea, quæ aliâs legibus non vindicantur, & eſt antiquiſſima, & non ſolum populo divino, *Num.1. & 26. 1.Sam. 12. v.13.14. Ierem.1. 10. 1.Reg. 13. 4. & 17.1.2. Reg.3. 13. 2.Chon. 16 10.* ſed & Græcis ac Romanis; omnibusq; Italiæ populis uſitatiſſima fuit: *ut ex Liv. deducit Bodin.6. de Rep.1. Zepp.de polit. Eccl. lib. 2. c.15. 17. Alth.c.25.* Qnare idem *Bodin. ibid.* eam omnium, quæ in Rep: cogitari poſſunt munerum maximum, omnibusq; civitatibus maximè neceſſarium, utiliſſimum & omni laude digniſſimum deprædicat. *adde Thol.4. de Rep:12. Dan.6. pol.4. Arn.1.pol.16.*

3. Eam exercentes dicuntur, cenſores, morum magiſtri, diſciplinæ obſervatores, inſpectores, & inquiſitores: olim Athenis Nomophylaces, legum cuſtodes. *Bod. d. loc*

4. Ejus partes à Politicis conſtitui ſolent duæ: cenſus & coërctio.

5. Cenſus eſt cenſuræ pars prima, quâ exploratur civium ortus ſeu generatio, educatio, & conditio ac differentia.

6. In generatione providebunt cenſores: 1. ne matrimonium niſi perſonæ habiles & idoneæ, & quidem legitimo modo ineant. credibile n.non eſt, ille, qui immaturam nimis, *quæ nondum ſubacta ferre jugum valet cervice Hor.2.od.5.* ducit, quam infinita ſibi accerſat mala: lædit valetudinem, damno afficit rem familiarem, prolem varijs obnoxiam morbis ſuſcipit: Sæpè etiam ipſa puer-

pera partus doloribus enecatur. *Ariſt. 7.pol. 16.* ubi viris definit ætatis annum 37. fœminis18.

7. 2. Ne concubitus illiciti impunè concedantur, & ſic liberis ſpurijs Reſp. compleatur: Etſi enim ij non ſolum in Rep: ferantur, ſed & paternis vitijs abolitis, inſignibus virtutibus ſplendentes ad dignitates admittantur, ut *ſup. diſp.1. th.57.* defendimus: competitores tamen legitimos illis præferri juris civilis autoritate comprobatum eſt. *l. generali §. ſpurios 2. ff. de decur.* proinde omni ratione videndum, ut lupanaria, turpiſſima juventutis corruptela, morum civitatis depravatio, corporis tormentum, animæ perditio, prohibeantur. Etſi enim in ſplendidiſſimis, quibuſdam Rebuſpub: non vilis eorum autoritas, & major plerumq; ex illis, quam ex rebus conceſſis & licitis quæſtus & exactio: nos tamen eam Charybdin & voraginem averſamur, & exoſculandam relinquimus Pontifici, cui tam gratus lucri congeſti odor, ut ejus permiſſu aliquot millia meretricum quæſtum corpore faciant: imò ipſe meretricem ex hoc grege educere ad conjugium meritorium exiſtimet opus *c.20. X. de ſponſal.* Lupa Romuli & Remi fratrum nutrix erat, hodiè lupanar Romano præſuli non tantum nutrix; ſed & delicatiſſima eſt filia, adeo ut lupæ memoriam colat reverentius quam Petri Apoſtoli. *ut ex Henr. Steph. in apol. pro Herod. p.64. ſcitè ſcribit Schonb. 3. pol.13.*

8. 3. Ne mulieres gravidæ vel abortum protervè cauſentur *Exod.2.v.22.* aut per cincturam nimis ſtrictam, ut Coriolani neptis, aut per ſaltionem immodicam, ut Curij triumphantis ſoror, aut per variorum ciborum ingurgitationem, ut ſoror Caji Tuillij, aut deniq; per conſternationem ſubitam, ut Julia C. Cæſaris filia Pompeji uxor. *Valer. Max lib.4. c. 6. Guevara in horol. Princ.* Vel fœtus enecent aut abigant: Hinc jure civ. ſancitum, ut abigens in temporale exilium detur, ſi fœtus necdum 40. dierum ſit. *l.4. & ib. gloſ. de extraord. crim.* quod ſi major fuerit, cum vivere præſumatur, legi Cornel. de Sicar. potius, quam l. Pomp. de parricid. locus erit. *l.1. ad l. Pomp. de parric. l. pen. C. de ſic. l. 39. de pœn.* Vel figurâ humanâ editos exponant aut abjiciant crudeliter. Quemadmodum ſcribuntur Romulus & Remus abjecti & miſericordiæ alienæ objecti, quibus id à lupa exhibitum eſt, quod ab hominibus denegatum

Liv. lib. 1.

Liv. lib. 1. p. 11. Quod ſi tamen quidam abjiciantur, quod fieri ab ejuſmodi proſtibulis, quibus cura famæ quam conſcientiæ potior, adſolet, pro ejuſmodi expoſititijs Magiſtratus loca peculiaria & domos, quæ παιδοτροφεῖα dicuntur, fundatas habeat, quibus alantur & aduſum Reip: inſtituantur. *de quibus infra.*

9. Ex his liquet, quam impium nullâq; ratione probandum *Ariſt.* ſit conſilium, quod probat *Thol. 14. de Rep. 1.* dum *7. pol. 16.* ſvadet, civium numerum, quando ſupra eum, qui ſemel definitus eſt, excreverit, imminui à magiſtratu debere, idq; cōmodè fieri arbitratur, ut fœmina intra 40. à momento conceptionis diem abortiant, antequam fœtus ſint animati. Pugnat enim cum lege Dei de non committendo homicidio, adverſatur mandato ejuſdem de multiplicando humano genere, naturæq; cui propoſitum eſt, per ſingulorum & individuorum multiplicationem ſpeciei totius æternitatem conſervare, & id quod bonum eſt, latiùs diffundere, bellum infert: *Timpl. 1. pol. 7. q. 5. Keck. 1. Syſt. 8. p. 176.*

10. Dicimus autem fœtum humanâ formâ natum non eſſe abjiciendum, nam ſi quid monſtroſum aut prodigioſum editum ſit, cum nihil homini ſimile inſit; abjectio permittitur. *l. oſtentum 38. l. quæret aliquis 185. de V. S. l. 14. de ſtat. hom. l. pen C. de hæred. inſtit. vide Gometz. 3. Var. reſol. 3. n. 32.*

11. 4. ut obſtetrices idoneæ conſtituantur, ut parturientium curam fidelem gerant: earum quanta neceſſitas, neminem latere poteſt; quantum in ijs poſitum, docet Pharaonis intentio & propoſitum de enecandis per eas Iſraëliticorum filijs, ſicq; toto populo extirpando.

12. 5. Et hæc in generatione notanda ſunt: in educatione procuranda erunt, alimentatio & ſanitas. alimentatio inquam vel infantum, vel infantiâ majorum.

13. Quod ad infantes, nutricum ratio habenda, quia multa vel virtutis vel vitiorum ſemina ſugunt cum lacte nutricis: legibus igitur magiſtratus quæſtionem ex peſſima noſtri temporis conſvetudine moveri ſolitam; an matres nutricationis officium extra caſum neceſſitatis & infirmitatis alijs delegare poſſint? perſtringat atq; decidat juxta ductum naturæ, quæ ideo binas mammas matri dedit, ut uberibus ſuis infantē aleret; ideo ſic ordinavit,

 ut im-

Digitized by Google

ut impenſius amaret ſuis uberibus nutritum,adeoq; ardentiùs redamaretur:ut hæc & alia plurima urget *Plut. de educ. liber.* Neque hic inter majoris aut minoris ſtatus, conditionis aut dignitatis uxores diſtinguimus: *per l. 1. §. ff. l. de Iuſt. & l. pr. l. de Iur. nat. g. c.* Et cuinam, *inquit Cic. in orat. pro dom.* mulieri dedecori eſſe poteſt lactare filium, quam ex proprijs viſceribus eduxerit, novemq; integris menſibus pluſve minuſve in penitiſſimis, abditiſſimis, reconditiſſimis uteri receſſibus proprio ſanguine aluit? Et rectè *Chryſoſt. in Pſal. 50. hom. 1.* Erubeſcit fieri nutrix quæ facta eſt mater.

14. Reliquis præter infantes provideant inſpectores, ut edulia accipere queant ſalubria, nec carnes aut piſces corrupti, contagioſi &putridi publicè vendantur,nec fructus immaturi ſub initium autumni immoderatiùs uſurpentur,nec cupedinarij cupedijs ſuis ac delicijs nimijs valetudini civiũ noceant. Rationem quoq; habeant annonæ publicæ, omniaq; media ejus bene vel parandæ vel aſſervandæ,vel vendendæ,vel diſpenſandæ & erogandæ procurent. Quo conducet publica conſtituta & extructa granaria,ijsq; præfectos ſeu ædiles Ceriæles, *ut vocat IC. l. 2. §. capta de O. l.* prępoſitos eſſe, *l. 2. C. de cond. in publ. hor.* qui etiam menſurarum & ponderum rationem habeant, flagellatores cohibeant. *l. 2. in pr. ff. ad l. Iul. de ann.* monopolia deſtruant. *l. un. C. de monop. Receſſ. Imper. de anno 77. vide diſp. noſt. 2. th. 36.*

15. Notandum autem hic, quod in publica inopia, ubi facilè fieri poteſt, ut horrea publica exhauriantur, cum fames diutius perſeverat, magiſtratus poſſeſſores frumentorum cogere poſſit, ut excepto eo,quo ipſi egent, reliquum omne vendant in publicum, nec quicquam ex ditione aliò exportent. *Rip: in tract. de peſt. cap. 4.* ubi etiam quærit, an cum frumenta exportare non liceat, farina exportari poſſit? Et ſimpliciter negat. *Keck. 1. Syſt. 8.*

16. Ad ſanitatem procurandam Magiſtratus quantum in ſe eſt, omnia media adhibeat, partim conſervandi ſalubritatem locorum publicorum, in quibus ſubditi verſantur, partim profligandi morbos, quibus ſubditi infeſtantur; cujuſmodi media ſunt præcipuè, mundities publicorum locorum: inſtructio & accurata obſervatio pharmacopolarum, ac ordinatio medicorum peritorum ac fidelium. Severis igitur legibus coërcendi triobolares

Digitized by Google

lares impoſtores, circumcelliones, circumforanei & ſeplaſiarij, qui non verentur in hominum vitas graſſari, incantationem q. ſuam hominum periculis diſcere, ac per experimenta fallacia ac conjecturas mortem hominibus inferre: Exterminanda etiam anicularum delirarum impudentia, quæ ſæpè ipſam medendi artem cum ſuis profeſſoribus ſuſpectam reddunt: *Keck. latè d. loc.*

17. Cenſus conditionis & differentiæ ſpectatur ut facultas, ætas, ſtatus, ordo & numerus civium in tabulas relatus; facilè percipi & intelligi queat. *Bod. 6. de Rep: 1. & eum ſecutus Arn: ſ. 1. pol. 16.*

18. Cenſum facultatis præmittimus, quia ad id ſolum initio cenſores creati fuere, ut indicat ipſum nomen: Eſt enim cenſere, æſtimare, & conſiſtit in eo ut divites & pauperes accuratè diſtinguantur, & quantum quisq; bonorum poſſideat, fideliter conſignetur. infinita enim illa bonorum æſtimatio, quæ adæratio & taxatio vocatur *ab Alth. c. 8.* parit commoda, tū Reip: ut ſuas opes & vires intelligat, & ſecundum eas ſe metiri poſſit. *Alth. d. loc.* tum ipſis civibus, ut in tributorum exactione iniquitas evitetur, proſpiciaturq; inopiæ ac juſtiſſimis tenuium potiſſimumq; agricolarum quærelis, qui tanto vectigalium ac tributorum pondere ſæpè premuntur; ut agris ac ſedibus, quaſi foro cedere ſit neceſſe. *Bod. & Alth. d. loc.*

19. Cenſus ætatis utilitas quoq; uberrima eſt, quia inde litium innumerabilium anfractus expediuntur: item qui qualesq;, bellis gerendis idonei cives ſint, diſtinguuntur namq; juvenes à ſenibus, fortiores à debilioribus, perſpici poteſt: ut &, an quis rebus ſuis adminiſtrandis ob ætatem permittendus: regulariter enim minoribus ad 25. annum adminiſtratio non conceditur, niſi veniam ætatis impetraverint, quam tamen indulgere ſolus Imp: poteſt. *l. 1. & t. t. C. de his qui ven. æt. impet.*

20. Cenſus ſtatus eo prodeſt, ut ſciatur, civiſne quis an peregrinus, plebejus, patritius an nobilis, quod cujusq; verum nomen, quæ ſtemmata, quibusq; parentibus ſit ortus, ut &, an quis legitimus an ſpurius: Quibus certè non cognitis, vix eſt ut non maxima, omninm rerum, perſonarum ac familiarum oriatur confuſio. Occaſione ſpuriorum incidit hic illud, quod ſolus Imp: legitimandi poteſtatem habeat: *Nov. 89. c. 9. l. 3. & t. t. ff. de natali reſt.*

eamq;

Digitized by Google

eamq; Comitibus Palatinis ejus nomine exercendam concedere ſoleat. *Geil. 2. obſ. 142. n. 1. & 3. Roſenth. d. Tſ. c. 5. con. luſ 2. n. 4. lit. D.* Quamvis eam Pontifices quoq; arrogarint, titulo nullo, vi manifeſta, dolo dololoſo. *Ioach. Cluten. in Syllog. th. 8. lit. f.*

21. Cenſus ordinis verſatur circa familias & collegia in urbibus & pagis, inſtituendis, ordinandis & conſervandis, ad comitia quoq; ritè habenda plurimum conducit *Bod. d. ſæpè loco.*

22. Ex cenſu numeri conſtare poteſt de potentia Reip: de annonæ & rei frumentariæ quantitate neceſſaria procuranda: aliisq; permultis, quæ, omni tempore, & inprimis premente obſidionis metu; ſcire Reip: utiliſſimum eſt. *vide Num. 1. 2. Caſ. in Sphær. lib. 3. c. 2. in fin. Arniſ. 1. pol. 16. p. 388.*

23. Circa mortem ſeu ſepulturam cenſus quoq; adhiberi debet & poteſt: ut ſcil. cenſores videant 1. qui nam ſint qui ſepeliendi ſunt: Etſi enim omnes mortales terræ matris domicilium ſibi futurum meritò expectent. *l. 38. & ſeq: ff. de relig. l. præter. §. non perpetuæ ff. de ſepulch. viol.* quibuſdam tamen perſonis ob vitam ſceleratè ante actam eccleſiaſtica ſepultura denegatur: tales ſunt: uſurarij manifeſti *c. 3. X. de uſur. clem. 1. de ſepult.* fures & latrones in flagranti crimine occiſi: *c. 2. X. de furt. c. pen. 23. q. 5.* Judæi *c. eccleſiam cum 5. ſeqq: de conſecr. d. 1.* excommunicati, *c. ſacris. 12. X. de ſepult. c. placuit 23. q. 5.* Quo referimus eos, qui ſibi violentas inferunt manus. Nam horum corpora olim quidem humata, teſtamentaq; rata manſiſſe ſcribit *Tacit.* hodiè a. ſub tecto domus dejiciuntur, vel ſub limine extrahuntur, & aut comburuntur, aut per carnificem in campo ſupplicijs deſtinato, vel ſi honeſtiores ſint, cœmiterijs propinquo ſepeliuntur: Et hæc dicitur ſepultura canina *3. Reg. 21. & 4. Reg. 9.* aut aſinina. *Ier. 22. ver. 19.* 2. Ne ornamenta, pecunia aut ſimilia cum corporibus condantur *l. at ſi quis 14. §. non a oportet. ff. de relig.* 3. ne cadavera nimis ſcito efferantur, nec nimis diu ſerventur in ædibus. *vide Lev. Lemn. de natur. mirac. c. 3. lib. 2.* 4. ut matutinis potius quam pomeridianis horis deferantur, quia eo tempore minus periculi eſt ab halitibus, quos cadaver meridiano tempore tepefactum graviores & copioſiores emittit. *Franciſc. Patric. lib. 5. de Rep. tit. 10.* 5. ut cadavera ita terræ imponantur, ut citò putreſcere poſſint: quo enim diutius putrefactio durat, eo plures halitus evaporant.

Digitized by Google

evaporant: *Keck.1.pol.13.* 6. ut ſepulchorum violatores ſeverè coërceantur: *vide l.1.l.3. §.7.ff.de ſepulch.viol. l.4. C.eod. Schonb.4.pol.5.*

24. Pertinent quoq; apparatus, ceremoniæ certæ & ritus, quales ut plurimum more noſtro recepti ſunt: ut præcedente funebri pompâ viri ſequantur. *2.Reg 9.Luc.27.* ut veſtes luctui accommodatæ adhibeantur: *mel.tun.3.q.pol.* ut demortui lugeantur & plangantur: ſic Abrahamus uxorem planxit *Gen.27. adde Gen.50.num.10. Deut.24. 2. Reg.2.* Ut cantus adhibeantur Chriſtiani, qui ſolamen lugentibus alijsq; adferant. Ut concio ad rem præſentem accommodata & preces adhibeantur chriſtianè mortuis, exploſâ diſtinctione inter infantes, qui nonnullis in locis non ſecus ac bruta animantia ſine ulla aliqua admonitione pia; terræ mandantur, & adultos pauperes divites &c. ut poſt ſepulturam convivium inſtituantur: *2.Sam.3. v.35.Ier.16.v.7.* forte ideo ut deſiderium defuncti quodammodo levet: Quamvis eo omiſſo non admodum peccetur. *Hæn.diſp.11. th.38.* In hiſce autem omnibus inprimis animadvertendum ne vel propter oſtentationem facultatum, vel nimium demortuorum amorem excedatur, aut inſumptibus funebribus *l.14.§.6. ff.d.t.d.relig.& ſumpt.* aut luctu. *1.Theſ.4.13.2.Reg.21.*

25. Tantum de prima cenſuræ parte, ſequitur altera, coërctio, quæ vitia civium explorat atq; emendat, bonos in virtutis ſtudio continet, pravos à malitia abſtrahit, corripit, corrigit: unde ea quam utilis, tam neceſſaria noſtro tam exulceratiſſimo ſeculo erit, in quo *cum eloquentiæ Principe* meritò quis exclamabit: ô tempora! ô mores!

26. Eſtq; duplex: Eccleſiaſtica & politica. Illa cives cogit ſingulos ad conciones ſacras diligenter frequentandum, monet ad ſacrâ ſynaxi utendum, pietati ſtudendum, & cultui divino atq; religioni vacandum diebus ſacris & feſtis ſolennibus. item curat, ut qui à religione approbata & recepta alieni ſunt, quiq; in alieno territorio utuntur ſacramentis, tales in conſiſtorium vocentur & inſtruantur melius. *Bodin. ſæpè d.l.6.c.1.Arn.1pol.16.p.391.Alth. c.24.* Et ea expediuntur per paſtores, Eccleſiarum inſpectores, presbyteros &c. Ad eundem quoq; pertinet, ut juventus, futura Reip: ſeges, deligenter obſervetur, ingenia adoleſcentum explorentur, & invitis quandoq; parentibus certo vitæ generi Reip:

tamen utili, eos adjudicent, ne flos ætatis in otio torpeſcat, *de quo diſp. præced. theſ. 43.* aut vagum illud & ſolitarium, eremiticum & monaſticum, turpe & otioſum vitæ genus ſequi diſcat. *de quo ſuprà diſp. 1. th. 8.*

27. Commodè hic inveſtigabimus quæſtionem illam: an ludi ſcenici, quales comœdiæ & tragædiæ, in benè conſtituta Rep: inprimis ſcholaſticis ſint liciti? *Bodin. ſæpè d. loc.* vehementer negat: nos contra affirmamus, ſi modo non planè obſcœnæ ſint comœdiæ: quia illud exercitium fructuoſiſſimum eſt, & imperitæ multitudini, quæ hic coram, & ſumma quidem cum voluptate, totius vitæ humanæ curſum intuetur, & adoleſcentibus ſtudioſis, qui inde tam rerum graviſſimarum, quam verborum lectiſſimorum maximam hauriunt copiam, linguæ hæſitantiam, exemplo Demoſthenis, emendant, rectè pronunciandi rationem diſcunt, memoriam ediſcendis ad verbum quam plurimis exercent, imbecillitatem, & timiditatem, quæ pleriſq; quaſi innata, adeo ut in multorum conſpectu ad dicendum obſtupeſcant, & ne gryh quidem ſonare valeant, expellunt. *Caſ. 5. Sphær. 8. Gocl. in quæſt. Ethic. 71.* An autem circumforaneis illis Anglicis hiſtrionibus ea facultas permittatur juſtè? ſemper dubitavi.

28. Politica emendat cum mores externos pravos, tum luxum civium: & expeditur per præſides, præfectos, alioſq; huic muneri à magiſtratu vel perpetuo vel ad tempus præpoſitos:

29. Mores correctione digni ſunt tam multi, ut recenſeri omnes, tum varij, ut unius hominis ætate obſervari nequeant: ſemper enim natura hominum corrupta in deterius prolabitur: præcipuos tamen enumerare ſtudebimus.

30. Reperimus autem 1. laſciviam & libidines, quæ permiſſæ Rebuſp: ſemper obfuerunt, inhibitæ manu cenſoriâ profuerunt: Nam, ut ait *Valer. 4. c. 3.* ij penates, ea civitas, id regnum, æterno in gradu facile ſteterit, ubi minimum virium veneris pecuniæq; cupido ſibi vindicaverit. *Lipſ. lib. 4. civ doct.*

31. 2. Ebrietatem, quæ, *teſte Seneca* eſt inſania voluntaria, naturam debilitans, ingenij aciem tollens, animum libidinoſum reddens, diſciplinam populi corrumpens aliaſq; multifariam Remp: offen-

offendens, ô deteſtandam voraginem flagitiorum & turpitudinum omnium ebrietatem! ô miſeram & commiſeratione digniſſimam noſtram Germaniam, ubi execrandum illud flagitium pro flagitio non habetur! utinam haberet Oenoptas Athenienſium, qui quid quisq; biberet, in convivio obſervarent! utinam Edictum D. Maximiliani, ut ebrij cum ignominia ab Imp: officijs excluderentur, obſervaretur rigidiſſime! Tum enim facilè potentiâ & fortitudine cum omnibus regionibus contenderet, ſuperaret, & inſtar ſolis inter ſtellas præemineret. Sed adeo inveteratum illud videtur malum, ut qui extirpare conetur, nihil plus agat, quam ſurdo narret fabulam. Quare inveſtigare placet: An ebrius contrahens obligetur? diſting: ſi tanta eſt ebrietas ut mentis exilium inducat, negamus: quia nulla ratio, nullum vitæ gerendæ rectum conſilium, nullusq; conſenſus reperitur: ſine quibus obligatio nulla *l.1. ff. de pact.* neſcit quid loquatur, quid faciat, nec abſimilis eſt, mente capto, prodigo & infanti, qui contrahere nequeunt: *vide c. pen. d. 35. c. à crapula de vit. & honeſt. cler.* ubi ſimilis dormienti, vitamq; edormire dicitur. Idem dicimus ſi ita ebrius matrimonium contrahat, *c. unusquisq; 22. q.4. c. ſanè 15. q.1.* quia & illud ſolo conſenſu contrahitur *l. 30. de R. I. VVeſenb. in. ff. de R. N. num. 8.*

32. An & idem in delictis dicendum? Communis ſententia in verbalibus & levioribus injurijs affirmat, modò poſt crapulam edormitam pœniteat, nec perſeverantia, hoc eſt, judicium animi, ut *IC. exponit l. 3. ff. de divort.* acceſſerit, *arg. l. 43. de R. I. l. un. C. ſiquis Imp: maledix.* Nos in totum non excuſandos putamus, quia culpa præceſſit caſum, dedit enim operam rei illicitæ: adeo ut non defuerint, qui ebrios delinquentes duplici pœnâ afficiendos putarint, propterea quod principium delinquendi in ipſis ebrijs eſt, cum in ipſorum poteſtate fuerit, ebrietatem vitare, quæ delicti cauſa eſt. *vide Ariſt. 2. pol. 10.* Idem quoq; in gravioribus delictis ſtatuendum judicamus, adhibitâ diſtinct. *quâ utitur Gail: 2. obſerv. 110. num. 28.* inter ebrietatem trunckenheit/ quæ ex caſu quodam, & ebrioſitatem vertrunckenheit/ gewohnheit vol zuſein/ quæ ex habitu vitioſo naſcitur: Priori caſu, cum quis non ex

 propo-

propoſito & induſtria, ſed vini ignorata vi deceptus, inebriatus peccaverit, v. g. homicidium commiſerit, non punietur ordinaria pœna, quia furioſo & mortuo comparatur & per conſequens in eo abeſt dolus & delinquendi propoſitum. *l. omne vitium §. per vinum ff. de re milit. l. perſpiciendum eſt 11. §. delinquitur 3. ff. de pœn.* Poſteriori caſu peccans ordinariâ pœnâ plectendus erit: Quam ſententiam veram ac divinam dicit *Menoch. de A. I. Q. 2. C. 8. Caſ. 324. num. 1. per l. 1. §. Divus 3. ad l. Corn. de ſic. l. abſentem 5. §. ult. l. perſpiciendum 11. §. delinquitur ff. de pœn.*

33. 3. Jurgia & lites, cum inter magiſtratum & populum tum alios cives, & inprimis inter nobiles & potentes: quin imò ne ſuſpicio quidem mala inter eos ferenda, ſed tempeſtivè per cenſores delenda & extinguenda, ne ſi alatur, velut ſcintilla, quamvis exigua totam Remp: tandem incendat *Ariſt. 5. pol. 8. Caſ. in Sphær. lib. 5. c. 8. Dan. 3. pol. 5.*

34. 4. Mendicitatem, nemini enim mendicare permittendum in Rep: ad exemplum antiquiſſimæ Judæorum politiæ, *Levit. 25. 35. Deut. 15. 4. Sirac. 40. 28.* quam tamen Chriſti tempore corruptam fuiſſe putant ex. *Luc. 16. 20. & 18. 35. Ioh. 9. 8. Actor. 3. 2.* Quia ſi uni conceſſum mendicare, reperiuntur eveſtigio infiniti validi, qui ſæpè morbos, vulnera, defectus naturæ ſimulant, literis & ſigillis alienis abutuntur; ut inſtar fucorum circa alvearia volitantium, aliorum domos proreptent, ſtipemq; ab ijs importunè & imprudenter extorqueant, & immenſam pecuniæ vim colligant, cum interea membra habeant integra & ſana, & latrocinij ſæpè, furtiq; criminibus impensè dent operam. Quare curiosè ſunt eliminandi, ijsq: illud *Plautinum in Trinuno ſcitè dictum* accommodandum: De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat aut bibat, nam & illud quod dat, perdit, & producit ei vitam ad miſeriam. Ne tamen qui planè propter virium imbecillitatem adquirere victum non poſſunt, negligantur, eos curet magiſtratus per privatos, ditiores præſertim mercatores ſublevari, vel etiam ipſe ex publico ſuſtentet. Quam ob rem prudenti conſilio in benè conſtitutis rebuſp: eorum collegia & receptacula fundata ſunt: quæ ijſdem utuntur privilegijs, quibus Eccle-

Eccleſia, *Nov. 131. §. pen. l. omnia 133. in fin. C. de Epiſc. & Cler.* illorum varia ſunt genera: *Ptochotrophia*, in quibus aluntur mendici & pauperes, atq; ſubſtantijs deſtituti. *l. omnia privilegia C. d. t. l. orphanotrophos C. de ſſ. Eccleſ. Brephotrophia*, inquibus infantes, inprimis expoſitij. *d. l. illud. l. ſancimus d. Noſocomia*, in quibus valetudinarij. *Xenodochia*, inquibus advenæ ægroti, inopes, debiles, quiq; ſibi ipſis per laborem de alimentis ſuſpicere nequeunt: *Gerontocomia* in quibus tenues homines, qui affectâ ætate victum ſibi ſuis operis parare amplius non poſſunt, aluntur *dd. ll. Wilhelm. Zepp. 2. pol. eccleſ. cap. 23. Caſ. in Sphær. lib. 4. c. 11. Keckerm. 1. Syſtem. 10. & 11.* ubi laudat conſtitutiones Eleemoſynarias gewiſſe Almoſen ordnung/ electoris Palatini, & Amſterdammenſem, Norimbergenſem, Argentinenſem.

35. 5. Luſus, turpes tamen & tales, quibus bona civium exhauriuntur, non qui ad publicam lætitiam & exercitationem virtutis, nec qui ad privatam recreationem introducti ſunt: *vide eleganter Heig. 2. quæſt. 10.*

36. Hæc inquam & ſimilia, quæ honeſtas in omni ſexu & ætate damnat, ut perfidia, perjurium, ſaltationes luxurioſæ, geſticulationes leves, *Bodin. d. ſæpè loco Arniſ. de cap. 16.* virgâ cenſoriâ caſtiganda ſunt, quorum fere omnium fomentum eſt otium, pulvinar Satanæ, quod ſi è Rep: tollant, ipſa vitia facilè ſuſtulerint: Quare omni ratione curabit magiſtratus, ut quilibet habeat ſua negotia, quibus à malo publico retineatur. *Tholoſ. lib. 22. cap. 7.* ubi egregiè deſcribit occupationes, quas Princeps otioſis demandare poſſit. Non igitur otioſé relinquendi ſunt & illi, qui reditibus ſuis annuis vivere poſſunt, quorum *ſupra d. 2. theſ. 35.* mentionem injecimus, quia *teſte Gerſone profeſſ. Pariſienſi in opuſc. de remedijs contra puſillanimitatem*, cor otioſi hominis eſt inſtar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum, quia in perpetuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum.

37. De choræis & ſaltationibus, an Chriſtianis licitæ & à magiſtratu permittendæ? diverſiſſimæ theologorum & politicorum ſunt opiniones: Quidam ſaltationem omnem licitam

eſſe defendunt: quidam ſimpliciter illicitam pugnant: quidam ſolitariam, cum vir absq; fœmina, aut fœmina absq; viro ſaltat, probant. Quidam deniq; qui mediam viam, & quandoq; licitam quandoq; illicitam, tradunt: quorum veſtigijs & nos inſiſtemus, cogitantes illud: *medio tutiſſimus ibis.* illicitam itaq; dicemus, ſi eſt inhoneſta, indecora, immoderata, libidinoſa, laſciva, contra licitam, ſi eſt honeſta, decora, moderata & gravitati non contraria, quod probant exempla ſanctorum in V.T. David coram arca Domini publicè ſaltavit. Puellæ victoriam ejus de Goliatho choreis & cantibus celebrarunt. Maria Soror Moſis ſtrato & interfecto Pharaone cum alijs mulieribus choreas duxit & ἐπινίκιον cecinit. Nec audimus *Pet. Martyrem claſ. 2. loc. com. c. 2.* ex his exemplis ſolitariam ſaltationem probantem, ſociam repudiantem, nam nec hanc prohibitam, pro ut à nobis circumſcripta eſt & limitata ſatis apparet ex fine ejus, qui eſt, partim declarare & teſtari hilaritatem animi, partim hononore afficere perſonam cum qua inſtituitur: urget quod nuſpiam in S. ſcriptura expreſsè prohibita ſit, ſanitatem corporis conſervet, corpusq; hominis agile & alacre reddat. Interim uſurpans illam ſaltationem magnam prudentiam adhibeat, ut decorum ubiq; obſervet, & omnibus modis caveat, ne ſuo exemplo alijs temerè vel offendiculum vel occaſionem malè de ſe ſuſpicandi præbeat: *Timpl. 3. . 5. Ethic. q. 8.*

38. Hucusq; de morum coërctione, ſequitur luxus coërcendus & emendandus, qui conſiſtit potiſſimum in hiſce quatuor: pecunia, domo, convivijs, veſtibus.

39. Pecuniæ cura duplex eſt: prima conſiſtit in ea cudenda, altera in cuſa utenda: hæc ad cenſores pertinet; illa autem ad eum tantum qui ſummo Imperio præeſt: Vnde & hodiè jus cudendæ monetæ eſt de reſervatis imperatoris, adeò ut domini inferiores, Regalia habentes, monetas cudere nequeant, niſi illis ſit vel vicarium, vel beneficiarum, vel privilegiarium jus: *Matt. d. Afflict. in c. un. quæ ſint regal. conſtit. Car. V. anno 1524. edita* §. deßgleichen hat der Müntz halber/ & anno 1551. §. ſo haben wir vns auch mit Churfürſten B. A. zu Augſpurg 1559.

§. als

§. als den auch biß anhero R. A. ibidem anno 1566. §. wie wol auch vielfältige: R.A. zu Speyer 1570. §. damit auch ſolch vbermäſſige.

40. Quo jure Duces cæteriq; Imperij primates, ut & civitates imperiales cudendi poteſtate fruantur? queri poſſet: *Ioach. Clut. in Syllog. th. 22. lit. K.* reſpondet omne jus eſſe vicarium id eſt permiſſu Impp: & tacita aſſenſione ordinum approbatum, imperatoris interim nomine & honore prælato publicatum. Ejus rei argumentum certum reddit, quod rogationibus imperij moneta eorum ſit ſubjecta, & cognitioni ſingulorum circulorum, quibus ea de re publicè inquirendi poteſtas eſt. *vide latius eum contra ſe ſubtrahentes diſputantem.*

41. Monetas falſas cudentes quâ pœna afficiendi? hic non inconvenienter inveſtigari poteſt: Dicimus autem eos olim punitos fuiſſe l. Corneliâ de falſis. *l. qui falſam 19. ff. ad l. Cornel. de falſ.* hodie autem pœnâ ex Impp: conſtitutionibus exaſperatâ flammarum exuſtionibus mancipari. *l. 2. C. de falſ. mon. conſtit. crim. Carol. V. artic. 111. Harpr. ad §. item lex. Corn. de falſis num. 45. Menoch. 2. de A. I. Q. caſ. 4.*

42. Cura cenſorum circa pecuniæ jam cuſæ verſatur uſum verum, qui ut certius ab omnibus teneatur, dilapidationes & profuſiones ſtrenuè prohibeant, decoctores die Banckerotten Spieler vnnd Fallirer ſeveris ll. coërceant, inprimis illos, qui ſuâ culpâ foro cedunt: ſeu ſuo vitio & fraude: & tum ſi pecuniæ publicæ decoctor extitit, ictibus plumbatarum ſubjici debet. *l. quilibet C. de decur. lib. 10.* ſi vero in privatorum pecunia fraudem admiſit, non ſolum mercator eſſe deſinit: verum etiam mercaturam ulterius exercere prohibetur: alijsq; ſæpè vel capitalibus ſubjacet pœnis: *arg. l. ſi aliquid 12. C. de ſuſcept. præpoſ. & arch. lib. 10.* Policey ordnung *Auguſt. anno 1548. & Francof. anno 1677. poſt repetita: tit.* von verdorbenen Kauffleuten. nam reliqui, qui ex naufragio vel alio caſu neceſſario ceſſionem bonorum faciunt, inter miſerabiles perſonas connumerantur. *vide tot. tit. de his qui bon. ced. poſſ. K. 1. Syſt. 23. p. 363.*

43. Sed hic nobis *Machiav. 1. de Rep: 12. & 3. cap. 16.* Contrarius eſt, magiſtratuiq; ſvadet, ut ſubditos detineat in paupertate &

tate & egeſtate: cui eleganter occurrit *Antimach. lib. 2. theor. 32.* & exemplis rationibusq; probat, quam utiſſimum ſit Reip: & magiſtratui opulentos habere ſubditos. Ratio ſumma eſt, magiſtratus theſaurus certiſſimus in ſubditorum peculijs atq; loculis reconditus eſt, nihil autem ad tuendas Reſp: theſauro eſt aptius. Quare & Alchymiam non facilè à cenſoribus privato concedendam concludit *Hen. diſp. 6. th. 22.*

44. Nec tamen planè divitijs ut dediti ſint ſubditi permittant cenſores, ſed nimium pecuniæ ſtudium tollant, & quoad res fert, minuant: *vide Sphær. Caſ. lib. 2. cap. 5. Keckerm. 1. Syſtem. 10.* avaritia igitur, quæ malorum omnium genetrix & nutrix, ſordidulos ſuos cultores reddit, abjectiùs, quam par eſt, viventes, in centonibus dormientes, atrum panem vorantes, frenanda, aut planè etiam exturbanda.

45. Verumenimvero cum omnis avaritia ex uſurarum permiſſione promanare cenſeatur, celebris & per quam gravis oritur conflictus. An uſuræ licitæ ſint nec ne? Nos ſalvo aliorum judicio, eas nullo jure, neq; divino, neq; canonico, neq; naturali, neq; civili abſolutè & ſimpliciter prohibitas eſſe, ſaniorem doctrinam credimus.

46. Et quidem jus divinum quantum attinet, non dubium eſt eas permiſſas eſſe, quatenus non ſunt contra charitatem proximi, eumq; damno non afficiunt: quod fit vel ex parte debitoris, cum is pauper & inops eſt, cui vel tota ſors relinquenda, ſperandaq; à DEO, tantum abeſt, ut uſuræ ab eo, etiam intra modum ll. conceſſum exigiqueant. *Exod. 22. 25. Levit. 25. 35. Deut. 15. 7. & 24. 12. 13. Pſalm. 15. 5. & 37. 21. Syrac. 7. 36. & ſeq. & 29. 14. Proverb. 19. 7. Luc. 6. 32. cum ſeqq. 2. Corinth. 8. 13.* Vel ex parte creditoris, quando debitor pauper quidem non eſt, ſed creditor nihilominus plus juſto uſuras exigit, & quidem cum damno debitoris. *Ezech. 18. 13. & 22. 12. Treut. par. 2. d. 3. theſ. 1. lit. e. eleganter Goclen. in Ethic. diſp. 28.*

47. Nec canonico jure intra modum ll. præſcriptum damnantur: Generales enim ejus juris in hac materia ſententiæ ad 3 tantum caſus referuntur: 1. ad fœnus improbum: 2. ad fœnus

fœnus, quod aliàs conceſſum exigitur ab eo, cui Eleemoſyna vel officioſitas mutui debetur. 3. quando legali modo priori fœnerandi abrogato, levior ſubrogatus; exceditur, vel aliquis intra eum modum ſtipulatur in caſu vetito: Quibus caſibus ſecluſis, canones præterea nullas reprobare uſuras legitimas docet *Molinæus in tract. de uſur. num. 515. 518. contra communem canoniſtarum cohortem. Geil. d. 2. obſ. 5. num. 5. Trent. d. loc.*

48. Multo magis naturali jure licitæ ſunt: quia nemo alteri cum ſuo detrimento benignè facere cogitur: *arg. l. nam hoc 14. de condict. indeb. l. 1. §. idem ajunt de aqua pluv. arcend.* Debitor enim quia lucrum facit ex pecunia creditoris, lucrum ceſſans creditoris ut compenſet æquum eſt, cum adjuvari nos non decipi benefico oporteat *l. in commodato 17. §. 3. in fin. ff. commod.* Neq; vero officio contrarium eſt, ſic alium juvare, ut te ſerves indemnem. *l. ſed ſi quis ex ſignatoribus ff. quemadm. teſt. aper. l. ſancimus 25. C. de admin. tut. Borth. de uſur. c. 1. n. 16.*

49. De jure civili quin conceſſæ, omni prorſus caret dubio: *vide t. t. ff. & C. de uſur. Nov. 7. 32. 72. c. 6. 7. 8. Nov. 121. cap. 12. Nov. 136. 138. 160.* ita tamen ſi modum legitimum non excedant. *l. quod in ſtipulatione 31. l. tutor. 41. ff. d. t. de uſur. l. 26. C. eod.* Qui modus pro temporibus varijs fuit varius: ut conſtat ex Hiſtoricis, *Tacit. lib. 6. annal. Appian lib. 1. de bel. civ. Rom.* olim ex centeſima, ut ex aſſe ineundus erat. *l. 8. C ſi cert. pet. l. 4. §. fin. de naut. fœn. & alibi. Borth. c. 4. n. 3.* Quem modum ſolo triente illuſtribus perſonis, mercatoribus beſſe, cæterisq; omnibus ſemiſſe conceſſo, Juſtinianus prorſus ſuſtulit *l. eos qui 26. C. de uſur.* Cui conſtitutioni Juſtiniani derogatum eſt hodiè per noviſſimas conſtitutiones Impp: Maximil. I. & Car. V. quibus uſuræ quincunces indifferenter omnibus in imperio Rom. ſunt permiſſæ. *R. A. de anno 1500. 1539. 1548. 1577. ſub tit.* von wůcherlichen contracten.

50. Circa domum providebunt cenſores, ne ſuperbè nimis cives ſtruant & inſtruant ac exornent ſignis, aulæis alijsq; operibus. *Keck. 1. pol. 11.*

51. In convivijs quoq; damnabunt exquiſita cænarum ingenia, & heluones iſtos quibus luxus cauſa mos omnia terrâ mariq; conquirere: *Keck. d. loc. c. 12. Arniſ. 1. pol. 16.*

52. Sed quid de ſalutipotatoribus ſentiendum? Deijs pie & eleganter *Ambroſ. in lib. de Elia & Ieiunio c. 17.* Quid obteſtationes *inquit* potantium loquar? quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibunt, inquiunt, pro ſalute Impp: & qui non biberit, ſit reus in devotione. videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. eſt piæ devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum ſanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi qui calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atq; illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. ô ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illos ebrietate placari, qui Jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt.

53. In veſtitu deniq; providebunt cenſores, ne is ſit nimis luxorioſus in fœminis pariter & viris, ſed conveniens unius cujusq; conditioni & dignitati, non ſit peregrinus aut aliunde adſcitus, ſed genti cuiq; peculiaris, conſtanter retineatur *Schonb. 3. pol. 17.*

54. Hactenus de cura hominum intrinſeca & extrinſeca dicta ſufficiant: reſtat ut paucis de cura rerum agamus: quæ ſunt duplices: publicæ & privatæ

55. Publicæ ſunt variæ; & conſiderantur vel ut ſubjectæ vel objectæ, vel ut circumſtantiæ, quales tempore & locis, ut vijs publicis, limitibus &c. circumſcribunt: priori modo conſideratæ dividi poſſunt; in animatas, quales ſunt beſtiæ cum manſvetæ tum feræ, & in animatas: quæ ſunt vel immobiles vel mobiles.

56. Ad immobiles referunt aquam, cum majorem ut mare, tum minores: ut flumina, lacus, thermas, ſtagna &c. & terram, ſive ea aquæ propinquior ſit, ſive remotior: quo pertinent omnes res quæ ſupra terram & in terra, item ædificia varia, & machinæ, molæ variæ, pontes, valla, aggeres &c.

57. Mobilibus adnumerant omnis generis arma majora minora, defenſiva offenſiva, libros varios, mappas, picturas ſculpturas &c. Quæ omnia hic latius explanare chartæ exiguitas prohibet: *videatur deijs Keck. late in ſyſt. lib. 1. c. 19. 20.*

58. Res privatas dicimus ſubditorum poſſeſſiones, qualescunq

cunq; illæ ſint quas magiſtratus defendere tenetur, quo nomine earum dicitur Dominus.

59. Concluſivè hic quærimus, An Princeps ſeu Magiſtratus ſummus regna & ditiones ſuas ſine ſubditornm ſuorum conſenſu donare aut alio quovis modo alienare poſſit? N. quia ejus officium eſt Remp: ſibi commiſſam benè recteq; gubernare, adminiſtrare tueri ac defendere: *l. 1. in pr. C. de Vet. Iur. enucl. l. 1. in pr. C. de ſum. trin. initio Nov. 21. 31. 43. 46. 72. & alijs multis locis:* quod certè nunquam facit, ſi in alium transfert, *l. 1. §. 1. de offic. pro Cæſ. l. contra 28. §. fin. & l. Impp: 37 de pact. cap. 2. X. de donat: 2.* Princeps q. communis omnium pater eſt: *Nov. 98. cap. 2. in fin.* Ut igitur bona filiorum adventitia pater alienare prohibetur, licet ijs uti poſſit *l. 1. C. de bon. matern.* ita & Princeps prohibetur: Et licet metaphoricè pater dicatur, attamen ſimilitudo naturam imitari ſolet: *arg. §. minorem natu 4. I. de adopt. l. adoptio 16. ff. eod.* 3. Non debet deterior eſſe conditio ſubditorum, quam olim fuit libertorum: jam v. non licet jure civili heredi ſervum, cui libertas per fideicommiſſum relicta eſt, alij manumittendum tradere, ut ejus fiat libertus, ne forte duriorem conſequatur patronum *l. invitus 34. de fideicom. libert.* Ergo multo minus Principi permiſſum eſt, ſubditos in poteſtatem Principis (fortè) deterioris transferre. 4. Quia princeps alienaret contra fidem datam, ſub cujus conditione ad regni adminiſtrationem ſuſceptus eſt. Nihil autem gravius quam fidem fallere *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de conſtit. pecun vide Hot. ill. qq. 1. Bruckm. § ſoluta poteſtas M. 2. c. 4. eff. 6. Bronch. 4. aſſ. 87 Ioach. Cluten. in ſyll. th. 17. lit. d. e. f. g.*

ΠΑΡΕΡΓΑ ex lib 3. Inſtit. Imper. tit. 16. & ſeqq. ad 23.

1. *Stipulationem propriè contractum eſſe & absq; alterius adminiculo ſubſiſtere poſſe adſeveramus.*

2. *Stipulationem pro contractu juris civilis habemus.*

3. Inter

3. *Inter præſentes literis contractam ſtipulationem infirmam dicimus.*

4. *Stipulationem imperſonaliter factam valere ducimus.*

5. *Ex pura ſtipulatione ſtatim agi poſſe affirmamus.*

6. *Unius ex correis credendi novationem ſeu delegationem alteri nocere ſtatuimus.*

7. *Stipulationem pœnalem priorem obligationem novare non admittimus.*

8. *Pro dote promiſſa, vel pro ea conſervanda & reſtituendâ fidejuſſorem dari poſſe cum comuni ſchola negamus.*

9. *Fœminam propter JCtum Vellejanum ex fidejuſſione non teneri in foro fori indubitatum eſt: idem ad forum poli extendimus.*

10. *Fidejuſſorem dare obligatum pignora dando non liberari ducimus.*

11. *Fidejuſſorem in plus acceptum, ne quidem in id, quod principalis debet, obligari, exerc. cauſ. defendimus.*

12. *Fidejuſſorem ante obligationem finitam à principali debitore liberationem & dimiſſionem non petere poſſe arbitramur.*

13. *Fidejuſſori ſe ut Principalem* als einen ſelbſt Schuldener *obliganti beneficium excuſſionis non concedimus.*

14. *Exceptionem non numeratæ pecuniæ, etiam poſt biennium elapſum, dummodo excipiens onus probandi in ſe recipiat, opponi poſſe remur.*

15. *Studioſum factum fidejuſſorem & ad aliam Academiam migrare volentem rectè agere ad liberationem poſſe concludimus.*

Collegij Politico Juridici
DISPUTATIO DECIMATERTIA
DE
COMMERCIIS ET CONFOEDERATIONIBUS, UBI ET DE LEGATIS.
ET
PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,
ex tit. 23. & ſeqq. ad finem lib. 3. Inſt. Imp. deſumptis.

Quam

DIVINO ADSPIRANTE NUMINE
IN ALMA HAC ROSARUM ACADEMIA,
PRÆSIDE
JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,
PRO VIRIBUS DEFENDET
CHRISTOPHORUS, A. F. von Köllen:
Nob: Megap:
Ad diem 19. Auguſti.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Strenuis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, longoq; rerum uſu præſtantiſſimis Viris

Dn. GERHARDO Von Köllen/ Illuſtriſſimi celſiſſimiq; Principis ac Dn. Dn. JOANNIS ALBERTI, Ducis Megap. &c. Dn. noſtri clementiſſimi capitaneo auff Stavenhagen/ Hereditario in Grabaw & Prützen.

Dn. BUGSCHLAFIO Von Krakeviß/ Hereditario in Diviß & Frawendorff.

Dn. GEORGIO Von Örtzen/ Hereditario in Helpte.

Dn. THEODORO Veſſen/ Hereditario in Rumpeshagen.

Dominis fautoribus, patruo, avunculo, & affinibus meis omni obſervantiæ cultu proſequendis, haſce ſtudiorum meorum primitias lito.

CHRISTOPHORUS Von Köllen/ Reſpondens.

DISPUTATIO XIII.

DE COMMERCIIS ET CONFÆDERATIONIBUS: UBI DE LEGATIS.

THESIS I.

PErluſtravimus *diſputatione præced.* curam Magiſtratus erga ſubditcs tantum, quæ potiſſimum in eo poſita erat, ut ijs vita honeſta, tranquilla & commoda eſſet; regnumq; immotum & pacatum perſiſteret. Jam, quia ita Magiſtratus imperio præeſſe & conſulere debet, ut non ſolum ejus utilitas incorrupta perſiſtat, *teſte Imp: Frider. in tit. de prohib. F. alien. per Frid.* Sed & ipſum amplificetur, extendatur & augeatur: quod feciſſe legitur Juſtianus *§. fin. conſtit. de nov. C. faciend. in pr. de Iuſtin. C. confirm. Nov. 1.* cura erga ſubditos & peregrinos perpendenda venit, quæ ad dictum jam finem directa eſt: & in generalem ac ſpecialem dividi poteſt.

2. Generalis conſiſtit in eò, ut magiſtratus peregrinis, non tantum tutum & ſecurum per territorium tranſitum, & hoſpitia commoda procuret, ſed etiam ab omnibus injurijs civium & incolarum eos defendat: imò pro neceſſitate & dignitatis ratione, illis cum facultatem habitandi in ſua ditione, tum jus civitatis indulgeat. *uti ſupra diſp. 1. th. 56. defendimus.*

3. Specialis conſiſtit in commercijs ſeu negotiationibus & confœderationibus: de ſingulis ſingulatim.

4. Commercia ſunt negotiationes, quas cum publicæ neceſſitati ſubveniendi, tum honeſti lucri faciendi cauſa in mercibus licitis frequenter permutandis & emendis; vel cives inter ſe; aut cum peregrinis exercent. Dicitur & mercatura, quæ deducitur à merce, *ut tradit Bonevenut. Stracha tr. de mercatura p. 1. n. 73. & P. Greg. Tholo. in ſyntagm. lib. 25. c. 2. n. 5. contra Signorolum à mercando deducentem.*

5. Eam nonnulli dividunt in licitam & illicitam: ſed cum hæc vix mercatur appellari mercatura, eam mancam eſſe,& eſſentialem definitionem dari non poſſe dicimus. Diſtingui tamen poteſt, vel ex objecto, circa quod eſt occupata, in mercaturam panni, croci, vini &c. vel ex loco, in terreſtrem & maritimam, quam poſtremam Phœnicum inventum eſſe, *Dionyſ.* tradidit *lib. de ſit. orb.* Vel ex quantitate, in reſtrictam, quam alij ſordidam vocant & minutiorem, cum merces menſuris ponderis aut alio parvæ menſuræ genere venduntur (Et iterum ex objecto dividitur; in liberaliorem quæ verſatur circa merces precioſiores, ut ſunt œnopolæ, aromatarij, inſtitores rei ſericæ, panni &c. & ſordidiorem, quæ occupatur circa merces ſordidiores) & diffuſam, quæ ſummaria, ſolennis & Panegyrica etiam vocatur, cum absq; parvis menſuris ponderum & ulnarum cum majoribus ſummis negotiatio exercetur. *Schonb. 3. pol. 45. Keck. 1. Syſt. 14.*

6. Mercaturæ quia uſus inſignis in Rep: ejus cauſas, effectum, ſubjectum recipiens, adjunctum & contrarium conſiderabimus. cauſa mercaturæ alia eſt efficiens, alia materia, alia forma, alia finis. Efficiens iterum vel principalis vel inſtrumentalis.

7. Efficientem principalem ſtatuimus duplicem: 1. eſt libera commeandi contrahendiq; facultas à magiſtratu ijs conceſſa, qui merces ultro citroq; convehunt: Hinc ſvadent politici ut Magiſtratus deſtinet loca, in quibus negotiatio exerceri poſſit, eaq; oportuna, certis immunitatibus, libertatibus & privilegijs ſingularibus (quo exteri alliciantur, ut libenter ſuas merces eo devehant, aut etiam libenter commorentur) munita, certa, diſtincta foris: nempe ut aliud in hoc, aliud in alio foro ematur & vendatur. *Al.h. c. 27. Keck. d. loc.*

8. An autem itinera, portus & commercia adeo libera eſſe debeant, ut etiam infidelibus, atq; ipſis adeò Turcis pateant? diſceptari poteſt: Nos certis adhibitis cautelis, quæ ſunt: 1. ne ll. politicas & Reip: impoſitas violent, 2. ne impias ſuas ſuperſtitiones exerceant: 3. ne ea, quæ nobis ſunt neceſſaria auferant, ſeq; illis contra nos arment. 4. ne regionem explorent, aut etiam bonos civium mores corrumpant, affirmabimus, quia idem

ſacræ

ſacræ literæ teſtantur. *Nehem. 13. 2. Chron. 16. & c. 8.* & ideo jus commerciorum introductum eſt, ut eſſent legitima media, quibus homines, etiam ex remotiſſimis locis ultro citroq; communicarent neceſſaria vitæ præſidia? *arg. l. 5. de I. & I. l. 1. de contr empt.* Aut ergo commerciorum uſum tollamus, aut illis aditum liberum præbeamus neceſſe eſt. At ſublatio & privatio commerciorum inter publicas pœnas & calamitates numeratur à Propheta *Ezech. 7. 2. 6. Alsh. d. loc. Dan. 4. pol 2. Amini. lib. 3. theor. 32.*

9. 2. Eſt juſtitia commutativa, quæ in communicatione rerum ſervat proportionem Arithmeticam, & æqualitatem, ne alteratra pars commutantium ab alia injuſtè & fraudulenter circumveniatur, adeoq; una cum alterius detrimento vel diteſcat, vel ad paupertatem redigatur, aut ſaltem una de lucro altero de damno glorietur poſſit. *Timpl. t. œcon. 6. q. 11.*

10. Hinc acerrimè quæritur, an liceat vilius emere ut cariùs vendas? *Keck. in œcon. c. 7.* non putat licere, niſi 1. aliquid temporis inter ejuſmodi venditionem & emptionem interceſſerit, quod natura iniquam dictet, i d quod hodiè emiſti, ſtatim eodem die aut craſtino carius vendere: quod demonſtrat exemplo avari, qui pecuniam habens omne frumentum venale emit. 2. niſi res vendenda melior ſit facta vel artificio aliquo vel operâ tranſportationis & tranſvectionis: vel diuturna conſervatione illius ad indigentiam & neceſſitatem alterius. Contrà apud JCtos in conſtituendo emptionis pretio licere contrahentibus naturaliter ſe circumvenire ſeu circumſcribere tralatitium. *l. in cauſæ 16. §. idem Pomponius de minor. l. item ſi pretio 22. §. ult. ff. locat. quod & ſuprà diſp. 1. παρέργῳ 4. ſtatuimus,* quia venditor quam maximo pretio poteſt vendere, emptor, quam minimo poteſt, emere; annititur, *l. ſi voluntati. 8. in fin. C. de reſcind. vend.* Quod ita tamen accipi debet, ut dolus abſit: i. e. ut fraus ſit tantum in re, non item in perſona contrahentis. *l. 4. & 5. C. eod.* & ne læſio excedat dimidium juſti pretij. *l. 2. C. eod.* in foro tamen conſcientiæ vix ſubſiſteret. *Eccleſ. 27. v. 2.*

11. De dolo malo res ſatis expedita eſt; eum enim planè mercator in rerum venditione à ſe abeſſe abfuturumq; eſſe præ-

ſtare tenetur, etiamſi expreſsè non promiſerit. Non ignorandum autem dolum, ut multis alijs modis, ita & mendacio committi ac diſſimulatione: unde rectiſſimè *Valer. Max.* ſcribit, bonæ fidei venditorem, nec commodorum ſpem augere, nec incommodorum cognitionem obſcurare oportere. Et *Plat. lib.11.de ll.* voluit venditorem juramento rem laudantem ac vendentem non ſolum reipſa privari, verum etiam tot verberibus publicè cædi, quot drachmis venderet. Lex, mediusfiduus, digna, quæ hodiè obſervetur, quo noſtrorum inſtitorum levitas cohibeatur.

12. Inſtrumentalis eſt, cum nummus ſeu pecunia, quæ eſt menſura omnium hominum arbitrio inſtituta, legeq; civili approbata, quâ omnis generis merces comparari poſſint. Et ſuccedit ea in locum indigentiæ, quando enim non indigemus eâ re, quam alter nobiſcum cupit permutare, tum ejus loco conferimus pecuniam, ut poſſimus eam rem, quâ nos indigemus, accipere, & ille viciſſim ſi noſtra re indigeat poſſit eam ſibi à nobis per pecuniam comparare. Unde *Ariſt. 5. Ethic.* dicitur ἐγγυητής: h. e. ſponſor & fidejuſſor: item ὑπάλλαγμα τῆς χρείας, i. e. ſubſidium indigentiæ. Tùm mutua obligatio contrahentium, quæ oritur vel ex pacto nudo vel ex contractibus cum nominatis, tum innominatis de quibus JCti fuſiùs conſulendi.

13. Dicimus ex pacto obligationem produci, indeq; agi poſſe, quia omnia in cauſis mercatorum ex æquo & bono aguntur, & inconveniens planè eſt, in curia mercatorum de apicibus juris diſputare, juxta opinionem communem *Bart. in l. Quintus Mutius ff. mand. Mat. Afflict. deciſ. 399. n.3. Strach. tr. de contract. mercat. n.1. Geil. 2. obſerv. 20. num. 5.*

14. Magnam Dd. concertationem, an & quando libris mercatorum credendùm, hic adponere lubet: in qua communem ſequimur, eos in caſu, quo producens illos, ſit homo integræ opinionis, & rationes propriâ proferentis manu ſcriptæ ſint, cauſaq; obligationis expreſſa, & ijſdem libris non ſolum credita, verum etiam debita, data & accepta contineantur, regulariter probare. *Zaſ. conſ. 15. Vol. 1. Geil. 2. obſerv. 20.* Dicimus libros, quia manuali ſeu Giornali (ut vocant) mercatorum non credi *Rota Genuenſis deciſ. 2. num 37.* teſtatur.

15. Addi-

15. Addimus & hoc literas ſeu ſchedulas, quæ inter mercatores parvæ & breves dari ſolent, paucis adhibitis ſolemnitatibus, Wechſelbrieff/ ob bonam fidem, quæ inter eos maxime attenditur, probare. *Gilhuſ. p. 2. Arbor. Iud. tit. c.6. art.2. num.42.*

16. Ut & illud, quod ſigna mercatorum, rem eorum facere præſumant, quorum ſunt ſignacula, ex ſigno autem cognoſcitur ſignatum. *Quo facit l. ſi neq; §. fin. de peric. & com. rei vend. l. ſi ſtigmata C. de fabric. lib. 11. ubi Bart. & Luc. de penna Felin. in c. nulli n. 1. de judic.*

17. Materiam mercaturæ dicimus merces, quæ permutari emiq; ſolent, mercis autem appellatio ad res mobiles pertinet, *l. mercis ff. de V. S.* & anguſtior eſt, nec ſervos venalitios continet, *l. 1. §. 1. ff. de tribut. act:* niſi ex interpretatione *l. ſervus 73. §. fin. de leg. 3.* nec tamen omnes res mobiles quia nonnullæ emi & vendi non poſſunt, quales in jure recenſentur: 1. homo liber *l. ſi in emptione §. omnium, ubi Accurſ. ff. de contr. empt. l. liber homo ff. ad l. Aquil.* 2. Eunuchi Romanæ gentis *l. 2. C. de Eunuch.* 3. res ſacræ *§. nullius I. de R. D. l. interſtipulantem §. ſacram ff. de V. O.* 4. purpuræ, quibus Princeps utitur, dum in majeſtate ſedet. *l. 1. C. quæ res vend. non poſſ.* 5. ſacrum encauſtum Imperatoris *l. ſacri affatus C. de diverſ. reſ. l. ſiquis naviculam C. de murileg. lib. 11.* 6. Sericum, quod à barbaris comparari prohibitum *l. comparandi C quæ res vend. non poſſ.* 7. frumentum publici canonis *l. pen. & ult. C. eod.* 8. vinum oleum & alia liquamina, quæ vendi nequeunt barbaris hoſtibus Imperij. *l. 1. C. quæ res exportari.* Idem juris in aridis eſſe putavit *Accurſ. ibid. & facit l. cotem ferro ff. de publ.* 9. Loricæ, arcus, ſpatæ, ſagittæ, gladij, tela, ferrum factum vel infectum vel alterius generis arma hoſtibus venundari prohibitis *l. 2. C. quæ res export.* 10. cos ferro ſubigenda *l. cotem ferro ff. de pub.* 11. animalia barbaris *l. uſurpatione C. de vectig. & commiſſ.*

18. Formam & modum negotiationis certis ll. magiſtratus præſcribat, ita ut impoſturæ & fraudes prohibeantur: quare monetam, pondera, menſuras ſic ordinet, ut nec exteris nec inquilinis fraudi eſſe poſſint. Ad formam etiam pertinent, 1. ut FREQVENTER merces permutentur, emantur, diſtrahantur quia qui ſemel emit & vendit mercator non eſt. *ut ait Accurſ. in l. 1. §. mercis, de tribut. act. Stracha tr. de mercat. p. 1. n. 6.* 2, ut merces non mu-

tata PERSE (i.e. per mercatorem) forma diſtrahantur: qui enim ſuâ operâ merces emptas in aliam formam reductas vendunt, mercatores non ſunt ſed artifices *c. ejiciens d. 88. l. legatis 63. §. officio ff. de leg. 3. Strach. d. tr. p. 1. n. 33.* Secus tamen eſt, ſi mercatores merces alienâ operâ elaborari curent. *Str. d. l. n. 26.* 3. ut merces in mercatura ſolemni & ſummaria non MINUTATIM diſtrahantur, alias ex mercatoribus fiunt propolæ ſeu revenditores Krämer. *Alciat. l. mercis 60. de V. S.*

19. Finis in eo poſitus eſt, ut res neceſſariæ, quibusq; Reſp: carere nequit, inferantur, ſuperflua exportentur, adeoq; indigentiæ humanæ ſubveniatur. *l. non ſolum C. de commerc. & mercat. l. 1. & 2. C. quæ res export.*

20. Effectus mercaturæ præter alios infinitos ſunt, opes, divitiæ, honor & potentia: Quæ omnia conſecuti per mercaturæ ſtudium ſunt non ſolum privati plurimi, ſed & multi populi & civitates Germaniæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ innumerabiles. Unde rectè *Plutarch.* mercatura ad barbarorum neceſſitudinem, regumq; amicitias comparandas plurimum valet, & multarum maximarumq; rerum uſum & experientiam præſtat.

21. Subjectum mercaturæ, ſunt perſonæ, quæ negotiandi artem exercere poſſunt: quales ſunt omnss, quæ non prohibentur. Prohibentur a. quædam natura: ut 1. furioſus *l. 1. §. furioſum de O. & A.* 2. dementes, *l. Fulcinius §. adeò in fin. quib. ex cauſ. in poſſ. eat:* 3. quibus bonis eſt interdictum, *§. nunc admonendi l. quib. alien. lic.* 4. mente capti *§. furioſi ubi gloſ. l. qui teſtam. fac. poſſ. l. 2. §. cum dementis C. de curat. furios.* 5. fatuus, qui per vicos inſanorum more deridenda loquitur, *l. ob quæ vitia ff. de ædil. edict.* 6. lunatici, quamdiu mens propter lunam officium non facit *l. bovem §. aliquando ff. de ædit. edict.* 7. omnes qui furioſo ſunt ſimiles. *Strach. d. tr. p. 3. n. 23.* Quædam lege 1. Clerici *c. canonum. 14. q. 4.* armatæ militiæ milites, *l. un. C. neg. ne mil. lib. 12. l. milites qui C. de re milit. eod.* 3. nobiliores: *ſupra diſſ. 3. th. 23.* Palatini & proceres palatij *l. fin. ubi gloſ. C. de reſcind. condit.* 5. qui provincias regunt. *l. principalibus ff. ſi cert. pet. l. un. c. de condict. indeb.*

22. De fæminis ob *l. fæmin. ff. de edendo* aliaſq; plurimas rationes

tiones

tiones ambigi poſſet; verius tamen eſſe ducimus, ipſas mercaturam facere non vetari. *per l. pediculis § item cum quæreretur ff. de aur. & arg. leg. l. ſed etſi quis 7. ff. de inſtit. act.*

23. Adjuncta & accidentia mercaturæ varia conſtitui poſſunt: nos brevitatis ſtudio aliquot ſaltem delibabimus: inter quæ primas deferimus tempori mercimoniorum exercendorum, quod capiendum eſt, vel ex natura mercium & publico peritorum mercatorum conſenſu, vel ex Principis ſeu magiſtratus ſummi præſcripto: ut ſunt nundinæ annuæ ſeu ſolennes, quarum concedendarum poteſtas ad ſolum Imp: pertinet *l. 1. ff. de nund. l. un. C. eod.* adeò ut is nundinas ſeu mercatum alicui oppido vel civitati auferre & alio transferre poſſit. *Natta conſil. 5. n. 512. Geil. 2. obſerv. 69. n. 24.* Nundinæ tamen hebdomadariæ ſeu vulgares Wochenmärckte ſine ullo privilegio ſeu principis licentia recte inſtituuntur: *Bald. in d. l. un. C. de nund. Sichard. ad rubr. ibid. n. 2.* Illud hic addimus, quod, ne nundinæ impediantur, ſalubriter introductum ſit, ut in ijs nemo conveniri ſub prætextu debiti privati, ac moleſtiam pati, præcludiq; , ſeu ut loquuntur. arreſtari poſſit: *d. l. un. C. de nund.* quod tamen ad contractus in ipſis nundinis initos non extendi poteſt. *l. hæreſ. in pr. & §. 1. ff. de judic. c. Romana §. contrahentes de for. comput. in 6.*

24. 2. Adnumeramus privilegia, quibus donari poſſunt varijs, quæ ſummâ curâ conſervanda ſunt, inprimis nundinarum tempore, ut poſſit ſecurè & ipſis & mercibus tutus eſſe acceſſus. *arg. l. §. 1. de his qui effud.* Neq; enim decipi debent, cum ſint temporibus privilegiatis ſub ſpeciali protectione & fide principum vel Rerump: quæ indulgent vel conſtituunt nundinas *Thol. 4. de Rep: 7. n. 12.* Quo pertinet, quod ſi mercator, qui in ditione quadam vectigal ſolvit, rapinam in ea paſſus ſit, dominus iſtius territorij teneatur ad refuſionem damni, vel ad exhibendum latronem *Mynſ. 5. obſ. 70. VVurmſ. obſ. 5. Geil. 2. obſ. 64. quod confirmatum jure Saxon. lib. 2. artic. 7. his verbis* Wen einer geleidt giebet/ der ſol jhnen für ſchaden behüten/ oder ſol jhm den ſchaden gelten.

25. 3. Curſus publicos ſeu poſtas, per quas non intelliguntur veredi *ut Caßiod. lib. 4. & 5. Var.* nominat à vehendis rhedis *t. t. C. de curſ. publ.* quiq; ſive ad tranſvectionem armorum *l. ult. C.*

de fabric. l curſum 22. C. de curſ. publ. ſive profectionem legatorum *d.l. curſum* ſive ob aliam utilitatem publicam *l. maximorum C. de excuſ. mun.* ſubditis imperantur, ut vult *Menoch. de A.I.Q. l.2.c.3.Caſ.229.* quia ſub nomine Angariarum continentur, ſed equos publicos, per vias publicas diſpoſitos, quibus præſunt magiſtri poſtarum; qui non tantum ſummam utilitatem præbent iter facientibus, literaſve alicubi mittentibus, ſed & non parvum vectigal fiſco inferunt, & adſecuritatem Reip: multum faciunt: poſtas autem inſtituere & confirmare poteſt ſolus Imp: quare anno 1579. cuidam generales per Belgium & Italiam poſtas conſtituere annitenti, à Cæſare pro juris ſui competentis tuitione ſeverè interdictum fuiſſe teſtatur *Clapm. de arcan. Rerump: lib. 1. c. 21. circa fin.* & magiſtro poſtarum officium ab Imp: confirmatum, *anno 1596. & 1597*, reliquis privatis & civitatum curſoribus, Metzgerpoſt vnnd nebenbotten/ generali Imperatorio diplomate ſublatis, *Regn. Sixt. de Reg. l.2. c.33. n. 42.* Sic in Gallia & Anglia Regum autoritate ejuſmodi curſores introducti ſunt.

26. 4. Eodem poteſt referri cambium (wechſel) ſeu permutatio pecuniæ pro pecunia diſſimili ſeu alterius rationis. Quod à multis vehementer improbatur, & legitimis adquirendi modis exterminatur, autoritate *Ariſt.1.pol.6.* Quibus Philoſophaſtris brevitatis ſtudio nil aliud reponimus, quā quod ipſe Ariſtoteles tradit, duplicem videlicet cujusq; rei eſſe uſum, primarium & ſecundariū. Largimur itaq; cambia ob numiſmatum varietatem introducta primariò; ad commune mercatorum bonum, quo ſcil. facilius mercimonia exerceri poſſint, eſſe ordinata: ſecundariò ad lucrum campſoribus ex numiſmatū commutationibus quærendū directa.

27. Oppoſitum mercaturæ ſunt Monopolia, quæ ne exerceantur, à Zenone Imp: ſub pœna confiſcationis bonorum & exilij prohibitum eſt. *l.un.de C. Monop.* Quam tamen l. de monopolio privato, cum propriè, quod mercatores, tum analogicè dicto, quod opifices & artifices exercere poſſunt, *Alth. 27. polit.* accipiunt, docentq; monopolium alicujus mercis, inprimis annonæ, extraordinarium & publicum tempore neceſſitatis à magiſtratu inſtitui & exerceri poſſe. exemplo Joſephi vendentis frumentum in

Ægypto

Ægypto *Gen. 41.* Salomonis *1. Reg. 9. & 10. Petrus Martyr in comment: ſup. d. c. 9. Alth. d. loc. & alij.*

28. Tantum de commercijs: reſtat ut de confœderatione etiam aliquid dicamus: de cujus cum neceſſitate, cum difficultate, & qualitatibus quam ſæpiſſimè graviter utramq; in partem indeliberationibus, & olim actum eſt, & hodiè agi & diſputari ſolet. *vide Herod. lib. 8. Iſocr. in orat. de pace. Cic. in Philippicis.* Nos breviter pro inſtituti noſtri ratione ejus naturam inveſtigaturi 1. an ſit 2. quid ſit: 3. qualis ſit & eſſe debeat confœderatio; cognoſcemus.

29. An fœdera contrahere liceat? eleganter primò quæritur, ſunt qui abſolutè negant, *quorum rationes vide apud M. Iun. p. 2. q. p. 74. p. 169.* cum quibus non facere poterunt, quicunq; Remp: tutiore loco conſiſtere volunt, qui fortiorem civium manum, audacioremq; animorum impetum deſiderant, qui gloriam & potentiam Reip: auctam cupiunt: nullum enim aliud ad hæc omnia remedium, quam fœderum ſancta cuſtodia: Quin & ipſa natura ſocietates & auxilia communia conquirere videtur, quandoquidem ipſi homini duplices manus, ſocias aures, oculos geminos tribuit, ut robuſtius perageretur officium, quod duorum ſocietate complendum fuit. *Caſſiod. lib. 3. epiſtol.* Nimis tamen facilis Reſp: non ſit in ijs contrahendis, ſiquidem leviter fieri poteſt, ut per ea particeps fiat alienorum peccatorum, alienarumq; pœnarum, quia ſæpenumerò inviti rapiuntur ad negotia injuſta & perniciosa. *Gregor. Richt. axiom. pol. 157.* Quare antequam ineatur ponderanda ſunt: 1. potentia eorum cum quibus fœdus ineundum: quia, ut Hadrianus dicere ſolitus eſt, in caducum parietem non eſt inclinandum *Lipſ. lib. 4. cap. 9.* 2. eorum mores, quales nempe ſe erga alios fœderatos geſſerint 3. animorum conjunctio. Et 4. ne in leoninam ſocietatem abeat confœderatio. *Melch. Iun. d. l. Bodin. 5. de Rep: 6.*

30. Eſt autem confœderatio nihil aliud quam obligatio vel potius pactio, quam una Reſp: cum alia, vel vicina, vel peregrina, ſocietatis & mutui auxilij gratia inire ſolet, *Iohan. Hockenhoff. in diſcipl. mor. lib. 2. c. ult. n. 2.* unde patet, quod hic non loquamur de confœderatione illa, quæ communicatis legibus fundamenta-

 libus

talibus fœderatarum Rerumpl. jura majeſtatis commiſcet, & unum Reip: corpus & eandem Remp: cum fœderatis conſtituit. *Bodin. 5. de Rep: 6. Thol. 11. Rep: 11. Alth. c. 7. Antimach. 3. theor. 18. Keck. 1. Syſt. 24.*

31. Qualitatem confœderationis ut magis perſpicuè obumbremus, ejus cauſas, effectum, ſubjectum, adjunctum, qualitatem & contrarium inveſtigabimus: cauſas inquam, cum efficientem, tum materiam, formam & finem.

32. Efficiens eſt duplex: principalis, quæ ſunt duæ vel plures Reſp: ſeu Principes ſocietatem ineuntes: impulſiva eſt ſumma illa neceſſitas & utilitas Reip: cujus ante *theſi 29.* mentionem fecimus.

33. Materia ſunt res, ob quas ſolet iniri fœdus, quales ſunt, commercia, quale eſſe inter urbes Boruſſiæ Toruniu m& Dantiſcum ſcribit *Keck. 1. Syſtem 24.* reſiſtentia & defenſio adverſus hoſtilem violentiam, ob quam innumera paſſim extant ſancita fœdera: utriusq; & defenſionis & commerciorum cauſa Anſaticum fœdus der Hänſeſtette initum tradit *Keck. de loc.* religio, cujus cauſa videmus Schmalcaldicum fœdus ictum. *vide VVaremund. ab Erenb. in meditam. pro fœder. cap. 2. & 4.*

34. Formam & modum pangendorum fœderum varium apud varias gentes legimus: alij quidem victimis cæſis, alij manibus junctis, alij lapidum jactu, alij ferro candente aquæ frigidæ immerſo, alij dira carnium execratione, alij ſanguinis mutuâ ex vulneratione permixti hauſtu, alij pollicum junctorum & eodem nexu colligatorum levi vulneratione, expreſſiq; cruoris guſtu: *uti refert Bodin. d. ſæpè lib. 5. c. 6. ex Herod. Liv. & alijs antiquitatum ſcriptoribus.* Quæ omnia partim Atheiſmum, partim Ethniciſmum ſapiunt: Chriſtiani divinâ lege edocti, non niſi divini numinis ac nominis obteſtatione ſe obligarint, is enim ſolus eſt, qui numinis ſui contemptores & perfidos uſciſcitur. *Deut. 19. Ierem. 5. & 12. Bodin. d. loc.* Qui *ibidem p. 906.* addit, quod ſæpè fœdera ut ſanctiora ſint, in ſenatu vel curia majori, vel in comitijs optimatum populive promulgeantur, interdum connubijs ſanciantur & confirmentur interdum ſignorum ſanciti fœderis; puta vinculi militaris torquiſve interventu, interdum, ſi nempe cum hoſtibus

ſanci-

Digitized by Google

ſancitur obſidum datione,interdum arcium oppidorumve deditione devaſtationeve, ſtabiliantur & q. caveantur.

35. Principaliter ad formam requiri putamus, ut fœderis ſint certæ conditiones,eæq; honeſtæ & æquæ,non pugnantes cum pietate aut virtute politica,quæ ab ineuntium Rerump: civibus rectè percipiantur: quarum ambiguitas in verbis, obſcuritas in ſenſu circumcidatur, & quoad fieri poteſt, pactis conventis amputetur. *Bodin d. loc.*

36. Finis cum ipſo effectu concurrere videtur,& in eo conſiſtit, ut ijſdem circumſtantijs manentibus fœderis conditiones ſanctè obſerventur, & non niſi mutuo conſenſu noventur, renoventur melioresq; conficiantur, non temerè mutentur aut violentur: Nunquam enim diſſipatio fœdere junctorum fieri poteſt, quin non omnes ſenſim ac paulatim cladem aliquam accipiant. *Idem Bodin. præd. loc.* ex quo *Iun. ante citata q. pol. 74.* ſvadet, ut incidentibus inter confœderatos controverſijs, non illicò ad arma perveniatur, ſed illæ potius componantur & dirimantur à judicibus vel arbitris eum in finem conſtitui ſolitis.

37. Subjectum fœderis ſunt ipſi ieuntes, ſive ſint Reges & Principes,ſive Reſp: ubi notandum, quod periculoſum ſit fœdus cum nimis remotis, juxta illud vulgare: *Procul qui habitant amici, non amici.* nimis miſeris & afflictis, qui quaſi quærunt cum qua gente cadant, *ut loquitur Lucan. lib. 8.* aut valde periclitantibus, ne Reſp: cum illis periclitetur. *Lipſ. lib.4. c. 9.Alth.c.20. Franc.Iun. d.loc.*

38. Utrum melius ſit cum Principibus an Rebuſp: ſocietatem ac fœdus inire nonnihil ambigi poteſt: à firmitate fœderum quæſtionem decidunt, quam quidem apud Reſp: alij apud Principes ſtabiliorem futuram putant. Nos ab utroq; peccari poſſe, & peccatum eſſe ſcientes, quid dicendum ſit in ipſo conflictu manifeſtabimus.

39. Graviſſimè etiã contenditur inter Dd. An fœdus cum ijs, qui à nobis religione diſſident,imo plane infideles ſunt, ut Turcæ, pro defenſione patriæ & libertatis inire liceat? innumera in utramq; partem&graviſſima quidẽ ſunt tela,jamantè cum *Franciſc.I.* Gallorum rex cum Imp: Turcico fœdus iniret, ingenioſè expoſita

 & in

& in medium prolata. Iis tamen utrinq; ponderatis, quæ pro affirmativa adducuntur, quilibet facilè ſubſcribet. illud namq; indubitatum, quod fœdera per pactiones fiant: paciſcimur autem non tantum cum amicis & concivibus noſtris, ſed & cum peregrinis, hoſtibus, hæreticis, latronibus atq; pyratis, *arg. l. ſunt quidam 17. § 1. ff. de pœn. l. ſed etſi 10. ff. de bon. damn. l. bona fides ff. depoſit.* Neq; huic cauſa fidei obſtat, præcaveri enim poteſt, ne quæ inſidiæ vitæ ac religioni ſtruantur, ut ſatis evincit exemplum, Abrahami qui cum Abimelecho fœdus inijt *Gen. 22.* Joſuæ, qui cum Gabionitis ſocietatem contraxit: *Ioſ. 9* Davidis, qui cum Joramo Tyri rege, *2 Reg. 5.* Salomonis, qui cum Pharaone *3. Reg. 3.* Judæ Machabæi, qui cum Romanis, *1. Machab. 8.* Simonis ſacerdotis, qui cum Spartanis & Romanis pepigit fœdus. *1. Mach. 14.* Quicquid etiā nonnulli Theologi, quos ſequitur *Schonb. 4. pol. 36.* zelo incontinentiori pro contraria ſententia adferant. *vide VVaremund. de Erenb. tract. de fœder. c. 2.* illud addimus: quod, dum pro patriæ ac libertatis defenſione dicimus, non pro levibus & nullâ urgente legitimâ cauſâ, ad pangendum fœdus cum infidelibus quibuſcunq; , velut ad ludum ac jocum tranſilientibus diſputemus.

40. Adjunctum fœderum dicimus durationem, quæ vel eſt temporaria, certum tempus præſcriptum habens, vel tamdiu vim tenens, quamdiu ſocij Principes vixerint, vel ex pactis ad ſucceſſorem aliquandiu tranſit: Quo in caſu ratihabitione opus erit. Vel perpetua: qualia pacta rarò iniri, inita tamen, ſæpius, ne temporis diuturnitate ac reticentiâ amicitiæ refrigeſcant aut paulatim intermoriantur, renovanda eſſe ſcribit *Bodin. d. ſæpiſſime loco.*

41. Fœderum qualitas dependet ex conditionibus adjectis: quæ vel æquales ſunt, cum inter Reſp: confœderatas bonis & viribus pares, una tantum ab altera exſpectat, quantum ſe præſtituram promiſit. vel inæquales, cum contra, ob impotentiam fortè ac infirmitatem non tantum promittitur, quantum exſpectatur: Quale fœdus eſſe cenſetur inter patronos ac defenſores, Schutz und Schirmherrn/ & eorum clientes, qui ſub eorum defenſione. *Alth. c. 7. Keck. 1. Syſt. 24. Bodin. d. l. p. 920,* ubi, quia clientelare fœdus omnium periculoſiſſimum, ad libertatem tuendam ſvadet, ne

clientes,

Digitized by Google

clientes patronis permittant arces vel oppida ſua præſidio militari tenere. utq; ſibi patrocinij tabulas, quas vulgò protectionis literas vocant, à patrono dari curent, quibus teſtatum ſit, jura majeſtatis ſalva & integra clientibus futura. Ut & illud, quod initur inter Magiſtratum & ejus tributarios: tales dicuntur ij qui à potentioribus victi pacem acceperunt, ſic tamen ut jura majeſtatis retineant, & inde victoris nomen comiter obſervent, eiq; ut libertate & pace fruantur, tributum annuum ſolvant. *Keck. Bodin. de l.* ubi & quomodo penſionarij differant, monſtrat.

42. Oppoſitum confœderationis eſt ejus diſſolutio, quæ aliter fieri juſtè & ſine perjurij crimine nequit, quam tempore præfixo elapſo, vel circumſtantijs ceſſantibus, vel deniq; alterâ parte illud ipſum (non præteritum) poſtremum, ſi acceſſit, fœdus violante: *Bodin. d. loc.*

43. An autem pax violata ſit, ſi quis pactus fuerit ne offenderetur, & furto res ejus, quo cum pacem inierat, erepta ſit, quærit *Bart. in l. verum, n. 5. ff. de furtis.* & negativam amplectitur: cui *Bodin. antè d. loco*, contradicit, docetq; quod nulla frequentior, fœderibus poſthabitis belli ſuſcipiendi cauſa Romanis fuerit, quam rerum ablatio, injuriarumq; illatio.

44. Quia cum infidelibus fœdus iniri poſſe, *theſi 39.* defendimus, & in ejus ſanctione fidem datam non eſſe fallendam *præced. 2. theſ.* innuimus, hoc loco extra metam non multum diſcedemus; ubi inveſtigaverimus, an & fides latroni data ſit ſervanda? quæ quæſtio uti uſu, proh dolor quotidiana, ita varijs cum Dd: tum plebejorum opinionibus & diſceptationibus ſummè controverſa. Nos ut ad veritatis metam faciliùs perveniamus, eam in duo capita diſtinguimus; non tam ex capite noſtro, quam ipſo latronum more: duabus enim de rebus pleroſq; latrones ſibi caveri & promitti audies: 1. de ſilentio, quod ſcil. latrones iſtos non ſit proditurus is, quē ad λύτρον mittendum ablegant. 2. de pretio capitis ſeu pecunia pro vita redimenda.

45. Silentij promiſſionem quantum attinet, putamus eam neminem ſalvâ conſcientiâ, licet ſanctiſſimè juraverit, ſervare poſſe. Nam tacens peccaret erga DEUM, qui non vult flagitia impunita eſſe, quare nec clari debent, & celans alio-

Digitized by Google

aliorum occultari, nedum propria committi: At promittens rem illicitam & impiam peccat, flagitiumq; deteſtandum committit: quid igitur fiet, ſi illicitam illam promiſſionem ſervabit & in effectuum deducet? An non ſimplex illud peccatum duplicabit? *vide Mat. 5.33.* Peccaret & is contra magiſtratum, Dei vicarium, quia is ob ſilentium ejus, officium ſuum, in viarum ſecuritate præſtanda, flagitijsq; puniendis quod poſitũ eſt, exequi, impeditur. Peccaret deniq; & quidem vehementiſſime in proximũ, quẽ tamẽ ut ſeipſum diligere debebat, quia ſilentio ſuo cauſam præbet vitæ ſalutisq; diſcrimini, in quod poſtea alij, inprimis obvij incidunt, in eorundem latronũ manus delapſi: Quod ſanè evitaſſent, ſi à prædicto promiſſore fuiſſent admoniti edoctiq; eſſe hoc vel illo loco latrones, qui iter facientibus inſidientur, quod aggravatur etiam ex eo, quia promiſſor ille certus eſt, eodem modo affectos eſſe latrones erga omnes viatores, quo erga ſe expertus fuit, indubitati à juris eſt, inculpa eſſe eum qui ſcit, nec, cum prohibere poſſet, prohibet, crimen permittere *l. 50. l. 109. de Reg. Iur. adde c. dilecto in fin. verſ. imò ſi poteſt de ſent. excom. in 6.* Neq; rem hanc per ſe & ſuâ naturâ inhoneſtam, improbabilem & impiam, juramentum adjuvabit, quia illud ipſo jure nullum credimus. *l. non eſt dubium §. 1. in fin. C. de ll. l. 7. §. ut generaliter 16. ff. de pact. 2. Sam. 19. 23. 3. Reg. 2. 9.*

46. Ex propoſitis de ſecundo membro quid ſtatuendum, cognitu difficile eſſe nequit: Nam cum jure civili vis illa graviſsimis pœnis vindicatur, *l. capitalium 28. §. 10. & pen. ff. de pœn.* Quomodo quæſo lucrum ex ea ſentire autores permittet? Quin & hujuſmodi conventiones violentæ improbantur, imò res ideo datæ licitè repetuntur *l. 7. & 8. ff. quod met. cauſ. l. 9. C. unde vi.* Quanto igitur magis ſalvâ cum conſcientiâ retineri non data poterunt, *uti ſcitè hæc omnia, ex Don. Giphan. diſput. de pactis th. 60. Ioh. Bod. 1. de Rep. 1. recenſet Goclen. in quæſt. Ethic. 95. qui tamen idem q. præced. contrarium planè defendit.*

47. Verumenimvero, quo felicius fœdera illa contrahantur, contracta firmius conſerventur, atq; adeo etiam confœderatorum bona correſpondentia, uti loquuntur, & amicitia conſervetur, aliæq; res expediendæ inter magnates neceſſariò quæ veniunt, rectius peragantur, repertum eſt munus legatorum, à legendo

gendo dictorum, quod publicè lecti mitterentur: *teſte Varr.* Qui & dicuntur oratores. *l. lex Julia ff. ad l. Jul. de vi publ.* nuncij *Cic. 1. Tuſcul.* Ambaſſatores, ἀπὸ τοῦ ἀμφαδίζειν quod mittere eſt; Reſponſales *c. Salonitana d. 63.* Caduceatores, à caduceo ſeu Ceryceo i.e. baculo à legatis geſtari ſolito. *l. 8. de R.D.* unde definiri poteſt legatus perſona publica ſacratiori nomine ad principem vel Remp: miſſa, ſine imperio rei dicendæ agendæq; cauſa. *Schonb. 3. pol. 27.*

48. Mitttere autem poteſt legatos Magiſtratus & Reſp: quælibet legitimâ imperandi poteſtate inſtructa: Unde conſequens eſt pontificem & alios proceres Eccleſiaſticos, ſi nomine & re Epiſcopi eſſe volunt, populum docere debere, non vero ſeſe occupare ſecularium negotiorum expeditionibus, ijsq; per legatos defungi. Utcunq; etiam hodiè mutato rerum ſtatu, ex conniventia Principum baculus Aaronis, & gladius Nimrodi una manu regatur, & clerici una parte clerici, altera Duces & Principes ſalutentur, altero pugno codicem, altero enſem geſtent, & ſint, ut loquuntur, compatibiles qualitates Eccleſiaſtica & politica. *Geil. 1. obſ. 30. & de P.P. l. 1. c. 1. n. 13. Modeſtin. piſtor. conſil. 49. vol. 2.*

59. Spectari poſſunt legati dupliciter, ut miſſi & ut reverſi. miſſi rurſum, ut emiſſi, & ut admiſſi.

50. Emiſſi ſunt, quos Magiſtratus ad exteros mittit; ubi ſingularis perſonarum habendus eſt delectus, ut miſſi ſint præditi virtutibus eximijs, quô dignitatem quam ſuſtinent, digniorem reddant: inprimis ſint temperantes, adverſus omnem vim, omnemq; eventum pectus imperterritum gerant, nec canes ſint muti *c. ſit rector. d. 43.* inprimis exiſtant fideles & immoti, *prov. 13. & 25.* doctrinâ inſuper ex omni diſciplinarum genere cumulatiſſimâ, variâ prudentiâ, experientiâ, linguarum peritiâ, & apud magnates gratiâ polleant, ut ex iſthoc Myrothecio, quicquid in deliberationibus publicis, quicquid in converſationibus utile futurum, depromere poſſint. *Keck. 1. ſyſt. 24.*

51. Dandum quoq; illis ſcriptum mandatum, ſeu, ut vocant, literæ credentiales, cum, quia nemini, etiam ne Principis

Gg quidem

quiqem ſummi, niſi ſcriptis probaverit, fides habetur *l. 1. C. de mandat. Principp. l. 5. C. de jure fiſci lib. 10.* tum, quia ingens in eo legatorum periculum vertitur, ſi ipſi ſummam Rerump. prolibitu ſine mandatis verſare & Reip: ſalutem, intra malleum & incudem conſtituere præſumſerint, cum certum ſit mandatum ipſum eſſe quaſi animam & formam legationis, eamq; ſine eo ut cadaver fœtidum repudiari.

52. Continere quoq; ſolet mandatum inſtructionem, quam commonitorium antiqui nuncuparunt, quo legatus ſciat, quid ſibi negotij expediendum, quæ legationis publicæ ſpecies ſibi obeunda: Anne pronuba? quam peragit qui matrimonium pro abſente magiſtratu contrahit: anne officioſa? quæ officij & honoris cauſa ſuſcipitur, quales ſunt, quæ fiunt ad congratulandum aut dolorem ſignificandum *l. 35. §. 1. ex quib. cauſ. major.* aut gratias agendas. *2. Sam. 2.* anne negotioſa? quæ tempore pacis ob varias cauſas ad Reip: ſummam pertinentes, expeditur. anne militaris? quæ vel ob bellum indicendum vel aliam ob cauſam ſuſcipitur. *Sibonb. 3. pol. 27.* ubi etiam legationem antiquam, quæ libera dicebatur, explicat.

53. Legatus admiſſus literas magiſtratus ſui credentiales exhibeat, nihil præter ſuum negotium agat, neq; alienis neq; proprijs rebus (legationem nempe impedientibus, *l. 9. l. 10. arg. l. 12. de legat.*) ſe interponat *l. Paulus §. fin. ff. d. t.* legationem non deſerat, *l. 1. eod.* quæ moram non patiuntur, ſtrenuè ipſe perficiat, non ſubſtituto permittat *l. 4. §. 4. eod.* Non modò oculos ſed & manus abſtinentes habeat, nec munera affectet.

54. An autem planè non liceat legato accipere munera? agitant politici. Veneti certè capitali pœna ſuis legatis munera accipere interdixerunt: *Gentil. l. b. 3. de legat. c. 13.* Quod tamen non probamus, quia ſi promiſcua munerum prohiberetur acceptatio, utiq; eorundem etiam erogatio, atq; adeo ipſum etiam præcipuum ſocietatis humanæ vinculum, liberalitas: Diſtinguendum ergo inter muneratorem, nam is ſi hoſtis ſit & offerat, cautiſſimus legatus ſit oportet, quia ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα & corruptelæ ſuſpicionem perpetuo alunt: ut & inter ipſa munera,

aera; quorum quædam dicuntur publica & ordinaria, quæ honoris cauſa legatis obveniunt, qualia erant olim lautia & xenia Romanorum. Quædam extraordinaria & privatim data, quæ aut ſingularis alicujus benevolentiæ & hoſpitalitatis cauſa vel corruptelæ & animi nundinandi ergò offeruntur. In extraordinarijs igitur accipiendis legatus erit moderatiſſimus, omniaq; ex prudentiæ regulis metietur. *Gentil. d. loc. Keck. d. loc. pag. 385.*

55. Legatus ille an ſui mandati fines excedere queat? ſæpius diſceptari inter politicos audies. Nos diſtinguimus, inter legationem definitam, & liberam. in illa enim quia negotium certum legato demandatum inſtructioniq; inſertum, certum eſt, quin ea, quæ mandati vi & verbis continentur, magiſtratus nomine & voce proferre, nec quicquam detrahere vel etiam addere teneatur. *l. 5. in pr. ff. mand. l. 11. §. 5. de inſtit. act.* Eſt ſiquidem legatus interpres, qui quando diverſa refert ab eo quod interpretatur, interpretis officium excedit: Quin & is, qui à Principis mandato recedit, etiamſi ex malitia aut ſuperbia non agat, videtur dominum contemnere, vel ſe ſaltem ſuamq; prudentiam majoris facere, quododioſiſſimum: præterea ſi res ei ex animi ſententia non ſuccedat, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis ſubeunda eſt, quod ſi verò melius fortè vertat, fortunæ id beneficium cenſetur, & vix ab uno atq; altero Principe æquiore animo toleratur: Svadent itaq; ut ſi præter mandatum aliquid de novo emergens re principis eſſe videatur, illico certiorem reddat Principem, aliudq; exſpectet mandatum & conſenſum Principis: Quod ſi moram non ferat negotium, diligentiſſimè laboret in capiendo conſilio, quod Principi utile futurum, ejusq; cauſas ſtatim ad principem deferat. Quod ſi vero alicui libera expediendi poteſtas permiſſa, ut conſilium ex re nata & tempore capiat, princepsq; omnia actitata grata & rata omnino habeat, eo potiſſimum reſpiciet, ut ex optato Magiſtratus voto & mente omnia ſuccedant, & ſi quid præter opinionem accidat, autoritati non indulgeat ſuæ, ſed rei peractæ nomen principi reſervet. Hinc

 liberis

ſiberis ejuſmodi legatorum mandatis clauſula hæc annecti ſolet. Si quid amplius fieri oporteat, prolocorum, temporum ac perſonarum varietate, curabit legatus. *Geil. 1. de p. p. 4. n. 30. Hyppol. à collib. in palat. p. 37. & ſeqq. Scip. Gent. d. lib. 3. c. 6. Kirchn. lib. 2. de leg. c. 6.* ubi recenſet benignam Georgij Saxoniæ Ducis reprehenſionem, cum ejus conſiliarius D. Breidenbachius in arduo negotio ad alium quendam Principem ab eo miſſus, ultra mandatum, totum negotium exceptu ſuo feliciter & commodè feciſſet.

56. Magiſtratus porro, ad quem miſſus eſt, omni ratione curabit, ut legato conveniens illi, à quo miſſus, honos exhibeatur: ſanctus maneat atq; inviolabilis: Nam jure gentium effectum eſt, ut legati haberentur ſancti & ab omni violentia tuti *l. 8. de R. D. Cæſ. lib. 3. bell. Gall.*

57. Hic ſe graviſſima offert quæſtio, an legatum adverſus Principem vel Remp: delinquentem, jure gentium liceat capere & punire? Eum pœnâ eximunt nonnulli, quos ſequitur *Gentil. 2. lib. c. 18. & Kirch. d. t. lib. 2. c. 2.* Quibus reſiſtit, autor quidam Anonymus, *qui ſuperioribus annis peculiarem de hac quæſtione libellum Argentinæ edi curavit*, eosq; graviori pœnâ coërcendos diſputat. Cujus ſententiam non prorſus rejicimus, ſed potius & ei ſubſcribimus, ſub hac ſolum limitatione, quodtum ſit puniendus ſi delictum illud jureg. improbetur & puniatur verbi gr. quando injuriæ accuſatur verbalis, ſi verum convitium dicteria verbaq; maligna evomuit, ſecus ſi liberius locutus eſt, quia linguæ libertatem ipſa juris ratio in legato urget, puniendum ducimus, cum & ob leviorem maledictionem ſecundum jus civile & proprium ſubditi puniantur. *t. t. C. ſi quis Imper: maledix.* Aut ſi damnandus ob injuriam realem, illa actu ſit producta, & in effectum data, nec ſolo affectu conſiſtat, quæ tamen etiam in ſubditis punitur. *l. 5. C. ad l. Iul. majeſt.* Ratio hujus limitationis eſt perſpicua, quia legatus licet non juri civili, ſeu huic vel illi populo proprio, juri tamen gentium ſubjectus omnino dicendus, ut certis habenis vel male-

vola

vola voluntas illius extorqueatur, vel ſaltem delinquendi autoritas inhibeatur: neve turpitudini ſcelerum patrocinium gentium adſciſcere audeat, utpote quod innocentiæ ejus non noxis favet, nec delinquentem legibus eripit, ſed ab injurijs privatorum innocentem defendit: itaq; ſic concludimus: Si legatus eum, ad quem miſſus lædit inſcio & invito eo, à quo miſſus, omnino gravem pœnam ab utroq; meretur, quia qui ſcelere ſe obſtringit, legatorum privilegijs absq; dubio indignum reddit: nam reatus omnem honorem excludit, & privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate *l. 1. C. ubi ſent.* Sin vero eum, ad quem miſſus lædit conſcio eo, qui miſit, certum quoq; quod puniri debeat & poſſit, quia non legatus miſſus, ſed ſicarius emiſſus eſt. Et jam antè mittens fidem fregit. Ergo nec ei fides ſervanda. *l. cum proponas ubi Dd. de pact. qui pendentem, l. Iulian. §. offerri ff. de act. empt. c. dilectus de ſimon. c. fruſtra d. R. I. in 6.* Adde vel hoc ſolum, quod longè aliud ſit legatum violare, aliud punire: hoc juris, illud injuriæ, non hoc ſed illud gentium ll. & privilegia demoliuntur. Svadet tamen *Keck. in curſ. phil. d. 33. q. 17.* quod legato ſic manifeſtè convicto & in ipſo facinore deprehenſo Princeps illius, à quo miſſus eſt, debeat conſuli, ne ſi quid gravius eo inſcio ſtatuatur, majorum turbarum juſta naſcatur occaſio: ita tamen eum conſuli jubet, ut Princeps læſus jus ſuum majeſtatis in eum ſibi reſervet, nec pœnam ad alterius vocem moderari cogatur.

58. Ejuſdem ferè difficultatis eſt & illa quæſtio, an ij, qui miſſi legati non ſunt, & legationis tamen nomen obtendunt, ſancti & inviolabiles ſint? Ad quam reſpondent diſtinctè, aut enim talis à nemine prorſus miſſus eſt, & jure legationis eximendus, aut legatus quidem, non tamen ad eum ad quem ſe miſſum affirmat, & illum legationis jure frui humanius. *vide Curr. lib. 4.*

59. A legato domum reverſo Princeps exigat, tum relationes actorum, tum rationes expenſarum. non tamen publicè ſed ſeparatim, ne ea res pavorem vel metum, vel aliquid aliud in-

 ferat

ferat multitudini. Dabit autem legatus operam, ut omnia illa actitata, animi perturbatione remotâ, irâ poſthabitâ, invidiâ poſtpoſitâ, fideliſſimè renunciet, nec, ſi fortè minus dignè abijs ad quos miſſus eſt, habitus fuerit, idcirco famæ eorum detrahat, non ſit incendiarius turbarum, qui ignem ſuper ignem adddat: quin & ea ſecretò habeat, quæ in legatione peregit, neminiq; niſi ei à quo miſſus eſt, renunciet. *Schonb. 3 pol. 30. Keckerm. d. loc. pag. 386. & ſeqq.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

ex tit. *23.* ad finem lib. *3.* Inſtit. Imper.

1. Quia emptio venditio ſolo conſenſu perficitur, errorem in tota materia eam vitiare credimus.

2. Emptione perfectâ periculum ad emptorem pertinere certò ſtatuimus.

3. Emptionem, ut & quemvis bonafidei contractum, cui dolus vel metus cauſam dedit, ipſo jure nullum dicimus.

4. Ementem rem locatam conductorem expellere poſſe dicimus.

5. Mercedem non tantum in pecunia numerata

Digitized by Google

merata, ſed etiam in quacunq; re fungibili rectè conſiſtere cum recentoribus defendimus.

6. *Conductorem de culpa leviſsima locatori teneri non arbitramur.*

7. *Emphyteuſin contractum juris civilis eſſe remur.*

8. *Ad ejus etiam ſubſtantiam ſcripturam eſſe neceſſariam exiſtimamus.*

9. *Emphyteutam jus ſuum donare, non etiam vendere poſſe ponimus.*

10. *Sortem ab altero collatam, ei qui tantum operam contulit, finitâ ſocietate non communicandam, ſicut nec diminutam infortunio ſortem, ab eo qui operam confert, partim ſarciendam, cum ſanioribus interpretibus affirmamus.*

11. *Pactum ut ad hæredes ſocietas tranſeat, pro valido non agnoſcimus.*

12. *Mandantem hominem vulnerari, & proteſtantem ne occidat, ſi eum mandatarius occiderit, l. Corneliæ pœna ſubjicere vix poſſumus.*

13. *Man-*

Digitized by Google

13. Mandatarium omni culpa etiam leviſsima adſtringimus.

14. Quod idem de negotiorum geſtore regulariter adſerimus.

15. Per errorem juris indebitum ſolventi repetitionem non concedimus.

16. Creditorem ad particularem ſolutionem accipiendam non damnamus.

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO DECIMAQUARTA

DE

CURA MAGISTRATUS MILITARI.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS,
ex tit. 5. prioribus lib. 4. Inſtit. Imper.

Quam

DIVINI NUMINIS AUXILIO
IN HAC ALMA ROSARUM ACADEMIA,
PRÆSIDE
JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,
PROPUGNABIT
ERASMUS Rathlow/
Eq. Holſ.

Ad diem 10. Septemb.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Nobilitate generis, ſplendore virtutis, multoq; rerum uſu conſpicuis viris,

DN. GODSCHALCO Rathlow hæreditario in Gerbüe.

DN. HENNICHIO Rumohr hæreditario in Runthoff & Borchorſt.

Dn. SIGFRIDO Powiſch CHRISTOPHORI filio, hæreditario in Hagen.

Patruo
Avunculo
Amitino.

Amandis, honorandis, colendis,

Diſputationem hanc politicam in obſervantiæ argumentum perpetuum
D. & O.

ERASMUS Rathlow Reſp.

Digitized by Google

Disputatio XIV.

DE CURA ET ADMINISTATIONE MAGISTRATUS MILITARI.

Thesis I.

De prima Magiſtratus gubernationis cura, togata nempe, *præced. duab. diſp.* fusè ſatis egimus: ſequitur nunc altera, militaris, quæ adhibetur tempore belli: quod *Con. 6. comm. Iur. civ. 5. n.n.* deducit à Græco βέλος, quod telum ſignificat: *Bocer. lib. 1. de bell. c. 3. n. 2.* à belluis *ex Feſto* derivat, quod belluarum ſit, non hominum, in mutuum ſævire exitium: *Saluſt. in Iugurtha*, καὶ ἀντίφρασιν dictum putat, quaſi minimè bellum: Eo enim ſemel exorto, nunquam ferè priſtina pax renaſci ſolet: Regna, fatali hac concuſſa Erynnide, ſubinde bella ex bellis parturire ſolent, pugnam quippe cum Lernæa quadam hydra ſuſcepiſſe videntur, cui capite uno reſecto, aliud aliudq; duplicatur & accreſcit. *Schonb. 6. pol. 1. in pr.*

2. Unde haud immeritò diſceptatur: an bellum ſit contra jus naturæ, & pietatem Chriſtianam; ita ut Chriſtianum Magiſtratum gerere non deceat? Affirm. *inter vetuſtos autores, Tertull. tr. de idololatria Lactant. 5. Inſtit. div. 22. 29.* & hodiè furioſi Catabaptiſtæ omnes. Quibus contradicunt ſani, quia bellum Magiſtratui dum prohibetur, ipſa quoq; defenſio juſta interdicitur, naturaliſq; ratio, *l. ut vim. 3. ff. de I. & I.* tollitur: quo quod abſurdius? *§. ſed naturalia pen. 1. de. jur. n. g. c. §. fin. l. de leg. agn. tut.* Quin & Deus ipſe in V. T. bella gerere legitima, non tantum permiſit, ſed & præcepit: probant exempla, Moyſis, Joſuæ, Gedhon, Davidis &c. qui juſſu divino bella geſſerunt: ijsq; Deus ſæpè manifeſtè ac miraculosè auxilium, proſperumq; ſucceſſum ac victoriam largitus eſt: *vide ſaltem Geneſ. 14. Exod. 17. 14. Ioſ. 2. 2. & 2. 2. & 8. 1. 1. Sam. 23. 4. 2. Sam. 5. 19. 2. Machab. 18.* Nec etiam in N. T. mutatâ ſententiâ prohibuit,

 ut patet

Digitized by Google

ut putet *ex act. 10. Mat. 8. & inprimis Ioh. 3.* ubi ſtipendijs contentū vivere jubentur milites: unde ſatis evincitur, quod eorum vitæ genus non ſit per ſe malum, ſed poſſint bonâ conſcientiâ in eo vivere, modo contenti ſint ſtipendijs & neminem injuſtè deprædentur. *vide Goclen. q. Eth. 73. & 92. Iun. 2. q. pol. 67. Bodin. 5. de Rep. 5. Bronch. 2. miſcel. controv. 77.*

3. Hæc cura quam ſit ardua, moleſta, copioſa, ipſa ratio dictitat, res clamat, ejusq; rei ſcriptores cum veteres tum recentiores comprobant. Nos in præſentia brevitati ſtudentes, non accuratam ejus curæ tractationem inſtituemus, ſed illius naturam, definiendo, cauſasq; & effectum, ſubjectum, diſtributionem inveſtigando, rudi, quod dicitur, Minervâ perſtringemus.

4. Eſt autem bellum duorum exercituum juſta ac prudenter à Magiſtratu, pacis retinendæ vel conſequendæ cauſa, indicta diſcordia. *vide Obrecht. diſp. de bell. & poſt eum Alth. c. 29. pol. aliter deſcribentes:* contra quos diſſerit *Keck. 1. Syſt. 29.* & bellum, quia ex numero rerum collectivarum eſt, planè non definiri poſſe tradit.

5. Dum diſcordiam duorum exercituum definimus, excludimus duellum ſeu Monomachiam, quæ eſt ſingulare certamen duorum hominum, & ſolius cum ſolo pugna, ſuſcepta ex pacto & mutuâ voluntate alterum occidendi, ſive privato conſilio, ſive publico permiſſu: Et pugna hæc, *teſte Philip. Camer. 2. medit. Hiſt 19.* fuit olim tam inter Ethnicos quam Chriſtianos & omnes gentes, ſicut ad huc eſt hodiè in Hungariæ & Dalmatiæ finibus Chriſtianis cum Turcis, ad oſtentationem fortitudinis uſitatiſſima: Adhibitū quoq; fuit duellū ad eruendam rei occultæ dubiæ veritatem. verum jure Romano illud primò prohibitum *l. un. C. de gladiat. lib. 11. & l. un. C. ut arm. uſ. inſc. princ. ſit interd. Nov. 85.* Deinde jure can. quam maximè fuit improbatum, *c. conſuluiſti. 2. quæſt. 4.* quia ſæpè innocentes & abſolvendi condemnantur, vincit enim in duellis plerunq; non juſtior ſed robuſtior, & exercitatior. *c. 1. 2. & ult. X. de pugn. vulg.* & probatio illa ac dijudicatio cauſæ per duella eſt dubia, fallax, & per eam Deus tentari cenſetur, quia committitur ſalus publica vel privata fortuito eventui cauſæ. *c. Monomachiam. 2. q. 4. vide Camer. d. loc. Tholoz. 48. Syntagm. 16 Bronch. d. l. aſſ. 77.* Quapro-

pter

Digitized by Google

pter & Car. V. vitio verti non poteſt, quod Franſciſco Galliarum Regi provocanti non comparuit. *Sleid. lib. 6. pag. 124.*

6. Cauſæ belli conſiderari poſſunt quatuor: efficiens, cum principalis, tum impulſiva, materia forma, finis.

7. Efficiens principalis eſt ſummus Magiſtratus v. g. in imperio noſtro Imperator, is enim ſolus poteſtatem habet belli ſuſcipiendi, decernendi, indicendi & adminiſtrandi: *arg. l. hoſtes 24, ibi, Publ. pop. Rom. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. l. 3. ff. ad l. Iul. majeſt. ibi, qui juſſ. Princ. bell. geſt. neminem C. de re milit. l. 3. C. de agentari. in reb. ord. Cam. p. 2. t. 15. 16.* Auß dem Käyſ. Mayt. oder unſerm zugeben. R. A. de anno 55. §. wo ſich aber / & §. ſeq. Sunt tamen duo caſus, in quibus etiam inferior Magiſtratus inconſulto ſuperiore bellum ſuſcipere poteſt. 1. Si ab aliquo, quicunq; ſit, injuſtâ vi oppugnetur, quia ſua ſuorumq; defenſio eſt licita. 2. Si magiſtratus ſuperior ſuum non facit officium, ſed manifeſtam exercet tyrannidem. *Thol. u. de Rep. 1. Boc. d. tr. c. 13. Alth. c. 29.* Quomodo ex conſtitutionibus Imperij contra Duces belli illiciti & tumultuarios milites procedatur, *vide late Geil. i. de p. p. c. 4. per tot.*

8. Cauſa impulſiva diſtingui poteſt, in generalem, quæ eſt, inevitabilis neceſſitas, & ſpecialem, quales ſunt 1. ſui ſuorumq; defenſio: 2. ſociorum ab alijs oppreſſorum liberatio: 3. vi ablatarum rerum, nec juris viâ recuperatarum repetitio: 4. fœderum pactorumq; ab altera parte violatio. *Thol. d. l. Boc. d. tr l. 1. c. 5. Alth. d. l. Dan. 6. pol. Chriſt. 3.* Et haſce cauſas, *Schonb. 6. pol. 3.* vocat, manifeſtas, quia occurrunt in oculos, conſiderationemq; hominum: quarę de his exercitus docendus, ut tanto magis animetur ad bellum pro cauſa juſta gerendum. *Thol. d. loc.* nam, *juxta Poetam. Frangit & attolit vires in milite cauſa: Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.*

9. An alienos oppreſſos armis defendere teneamur? maxima quoq; multisq; diſtinctionibus contorta eſt Dd. lis. Quam abſolutè affirmamus ob jus cum ipſius naturę, quæ cognationē quandam inter homines conſtituit. *l. 3. ff. de I. & I. adde l. culpa 50. l. nullum crimen 109. de R. I. l. 2. §. item Varus 5. verſ. quanquam de aq. pluv. arcend. l. 6. in fin. ff. de re milit. c. non in inferenda 27. q. 3. c. dilecto 6. de ſentent. excom. in 6. Iun. Brut. in vindic. contra tyr. q. 4.*

10. Addunt hiſce nonnulli causas alias, quas *Schonb. d. loc* occultas vocat, quia plerumq; latent in intimis animorum receſſibus, nec ſeſe exerunt, niſi quibuſdam ſignis: tales ſunt: 1. infidelitas, quam juſtam non eſſe, *ſup.diſp.4.theſ.46.ex Bocer. 1.de jur. bell.* defendimus: adde, quod fides non hominis ſed Dei tantum donum, non humanis armis, ſed tantum Dei gratia propagari velit. 2. ambitio, quæ plerunq; gliſcit in magnis animis ingenijsq; *Cic. 1. offic.* & multis ineſt; ſtant enim ordine longo qui cum Polynice *apud Senec.* dicere non verentur, ſe pro regno velle patriam, penates, conjugem flammis dare. 3. profunda cupido imperij & divitarum, quæ quoq; cauſa juſta dici nequit: nam ſi eſſet, ex utraq; parte belligerantium juſta eſſe poſſet, quia utraq; pars animum hunc habere poteſt: Et ſic utraq; pars eſſet innocens: itaq; neutra alteram occidere poſſet. *Boc. de loc.* 4. propria gloria ſeu proprium commodum: quæ quin injuſta ſit cauſa dubium prorſus nullum eſt, quia magiſtratus & bellum & pacem non ad ſuam ſed ad publicam utilitatem dirigere debet. *Boc. ibid. & Caſm. c.36. vit. civ.*

11. Materia belli conſiſtit in medijs & inſtrumentis neceſſarijs: quorum præcipuum eſt pecunia, per quam efficacia arma & utilia fiunt: nam quemadmodum impoſſibile eſt, ut homines ſine nervis ambulent, ita & magis impoſſibile, ut ſine re monetaria bellum poſſit geri, *Nov.8. c.10. §.2. Boc.d.tr. lib.1. c.15. n.16.* Et hæc tam firma ſunt, ut vix ullus, præter *Machiav. ob quaſdam frivolas rationes 2.diſcurſ de Rep. 10.* in dubium vocare auſus fuerit unquam.

12. Huic proxima eſt proviſio commeatus ſeu annonæ & rei frumentariæ, ne penuria & inedia plures quam pugna conſumat: unde rectiſſimè *Veget.3, de re mil.3. ait.* Hoc unum & maximum ſit conſilium, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inedia: nam reliquis caſibus omnibus in tempore poteſt ſubveniri, at pabulatio & annona in neceſſitate remedium non habent, niſi antè conditum. *Rantzov. lib. 1. com. de bell. c. 9. Thol. lib. 11. c.3.*

13. Conſtat inſuper, docente *Veget. 2. milit.1.* res militaris viris, de quibus commodius infra in ſubjecto, & armis, ſive ſint minora, quæ ductilia ſeu portatilia, item membra militum ab alijs nuncupantur, veluti gladius, machæra, romphæa, enſis falcatus acina-

acinaces, haſta, bipen nis, jacula, ſagittæ, ſcIopetæ minores, ſcuta, ſive majora ſeu vectilia, ut ſunt tormenta ſeu machinæ fulminales grandiores: veluti, Chartaunen, Nachtigall / Scharffentintle / Notſchlangen / Falckenetlein / Feldſchlangen / Singerin / Morſer / Scharffnetzen / Baſiliſcus / Petarden &c. *De quibus vide Veget. d.tr. l.4. c.13. 14. 15. Speckle lib.3. Architecturæ c.5. p.102. Lipſ. in libris polioretic. inventionem bombardarum vide apud Camer. 2. medit. hiſt. 28.*

14. Ad formam belli referimus: 1. ut magiſtratus bellum ſuſcepturus, ardentibus Deum invocet precibus, quo mentem & animos ipſius & ſubditorum ad ſalutaria, utilia & neceſſaria Eccleſiæ & Reip: excitare & dirigere, viresq; & ſucceſſum concedere, & ab omni temeritate & injuſtitia abducere velit: *2. Chron. 20. 3. Deut. 20. 1. 2. 2. Sam. 5. 19. & 20. Iudic. 20. 1. Sam. 23. Caſm. c. 37. 38. in pr. Alth. cap. 29.*

15. 2. Ut maturam deliberationem, cum magnatibus & viris prudentibus ac rei militaris peritis inſtituat: 1. ut evitetur omnis temeritas & injuſtitia: 2. ut vires propriæ, & hoſtis comparentur: 3. ut varia media ad bellum neceſſaria inveſtigentur, 4. ut omnia requiſita ad bellum, anne ſatis exquiſita, quamdiu pecunia & commeatus ſuppetat vel non, judicentur: 5. ut auxilia quæ hinc inde haberi queant, cogitentur. 6. ut omnis caſus & eventus dubius belli, ſimulq; mala & clades, quæ bellum neceſſariò comitantur, ponderentur. *Thol. 11. de Rep. 2. Alth. c. 28. & 29. Lipſ. lib. 5. civ. doctr. c. 6.*

16. 3. Ut fiat belli denunciatio, quæ clarigatio ſeu indictio dicitur, & omninò neceſſaria eſt, belliq; quaſi initium, ſine quo, nec inſidijs nec aperto Marti locus eſſe poteſt: *Boeer. lib. 1. c. 7. n. 3. 7.* Ejus ritus apud antiquos fuere varij: Carthaginenſes Romanos bello petituri haſtam Romam mittebant: *Cæl. lib. 21. lect. antiq. c. 16.* Quam etiam eoſdem Romanos Priſcis Latinis indicturos miſiſſe teſtatur *Liv. lib. 1. Halic. l. 2. Gell. lib. 16. c. 4. Alex. ab Alex. l. 5. c. 3.* ex quibus & alios modos enumerat. *Boe. d. l. 1. c. 3.* Hodiè plerumq; fieri clarigatio ſolet vel per 1. fecialem, qui eſt miniſter publicus & præco, quem mittit magiſtratus ad bellum hoſti denunciandum. Et is jure legatorum fruitur, & violari nequit: dicitur etiã pater patratus, à noſtris Herold. 2. literas clarigationis, per puerum

eadem

eadem de cauſa mitti quæ ſolent: Germanis **Feindes vnd Abſag-brieff.** Quales miſerunt proteſtantes ad Car. V. anno 1546. *Sleid. lib. 17.* Mauritius elector Saxon. anno 1553. ad Albertum March. Brandeb. *idem Sleid. l. 25.*

17. 4. Ut bellum indictum rectè executioni detur & abſolvatur: quod fit in apta caſtrorum metatione, & recta exercitus gubernatione.

18. Caſtrametatio apta conſiſtit, in electione loci idonei, qualis cenſetur, ubi & pabuli & aquæ ſuppetit copia, qui ſalubris, cui mons altior non vicinus, qui ab hoſtibus captus poſſit officere, qui torrentibus inundari nequit. & congruâ caſtrorum ſecundum quantitatem & qualitatem diſpoſitione ac munitione *Veget. l. 1. c. 23. 24. 25. Dillich. p. 1. lib. 2. de re mil.*

19. Gubernatio recta exercitus conſiſtit partim in diſciplina militari: partim in convenienti hoſtium impugnatione.

20. Diſciplina militaris eſt, qua totus exercitus & ſinguli milites in officio ſuo continentur, & in actionibus bellicis exercentur. *vide Thol. 11. de Rep. 9. Obr. de admin. bell. lib. 54. & ſeqq. Rantzov. lib. 1. de bell. c. 13.*

21. Ejus partes ſunt duæ: *exercitium*, quo inſtruuntur milites aſſiduè & exercentur, cum ad armorum uſum, ut nempe illa tractare, & expeditè ac promptè punctim vel cæſim ijs uti, vim inferendo vel declinando diſcant. *Alth. c. 30.* tum ad opus, ad militarem gradum & inceſſum obſervandum, ad curſum celeriorem vel tardiorem, ad ſaltum, ad uſum natandi, ad facienda miſſilia & jaciendos lapides, ad aſcendendos equos & expeditè ab ipſis deſiliendum, ad portandum onus &c. *Caſm. 49. cit. pol.* *Coercitio* qua milites in officio honeſtè tenentur, ut continentes ſint in cibo & venere, modeſti verbis, veſtibus & factis, ut ſint intenti ad Ducis non modò ſignum ſed & nutum, & ſint patientes in omnibus bellicis actionibus *Alth. c. 30.*

22. Ejus cauſa conſervans eſt: partim liberalis ſolutio ordinariorum ſtipendiorum: quæ apud veteres in pecunia, frumento & veſte conſiſtebant, & certa erant. *vide Veget lib. 2. c. 20.* Noſtro tempore non fixum habent milites ſtipendium, ſed pro perſona-

rum

rum qualitate nunc augetur nunc minuitur. *Dilich. p. 1. lib. 2. de re milit.* partim ſevera legum militarium executio ſecundum normam juſtitiæ, quæ bonis præmia, malis pœnam decernit.

23. Præmia ſunt varia: apud veteres erant, torques, phaleræ, armillæ & haſtæ, *ut refert Veget. l. 2. c. 7.* Quo referri poſſunt privilegia & beneficia, quæ militibus in hoſtimentum egregiè navatæ operæ jure civili conceſſa leguntur: ut quod ſint immunes à muneribus. *l. 3. §. 1. ff. de mun. l. 10. §. angariarum ff. de vacat. mun. l. 2. C. de re. milit.* 2. torturæ ſubjici nequeant. *l. 8. in pr. C. de quæſt.* 3. ob debitum condemnati non teneantur ultrà quam facere poſſunt. *l. 6. pr. l. 18. de re jud.* 4. eos excuſet ignorantia juris *l. 1. de juris. & fac. ign.* 5. Contra eos non currat tempus petendæ reſtitutionis in integrum. *l. ult. C. quib. non obj. l. temp. præſcrip.* nec præſcriptio. *l. ult. C. de reſtit. mil.* 6. conventi tam in civilibus quam criminalibus, non alibi quam coram ſuis ducibus conveniantur *l. fin. C. de re mil. lib. 12.* 7. filiusfam. peculium habere poſſit, in quo patri nil juris *l. 3. C. de Caſt. pec. l. 10. eod.* 8. idem hæres inſtitutus citra juſſum patris ſuo arbitrio pro hærede ſe gerere queat. *l. miles 5. ff. de caſtr. pec.* 9. absq; ſolemnitatibus teſtamentum condere poſſint. *t. t. ff. & Inſt. de teſt. mil. Boc. lib. 1. tit. 19. 20.*

24. Ne autem de umbra aſini & re dudum abolita agere videamur, inquirere allubet, an etiam milites noſtri temporis illis privilegijs gaudeant? Affirm. quia eædem prorſus ſunt rationes in militibus noſtris, quæ in antiquis fuere, ob quas talia privilegia dare Impp: commoti ſunt, nempe periculum & imperitia. *§. 1. I. de mil. teſt.* Nam & noſtri milites, pro Rep: dimicant, graviſſima pericula ſuſtinent: idem etiã publici belli manſit finis, propulſatio ſcil: hoſtis, vel recuperatio rerum ab hoſte ablatarum: Eſt & eadem ob armorum occupationem juris ignorantia: Quare & idem jus remanere debebit. *arg. l. 8. de publ. jud.* Adde quod permiſſa intelligantur durare, donec revocentur expreſsè: *l. item eorum §. quod ſi actor, ff. quod cujusq; univ. l. ſancimus C. de teſtam.* At hiſce privilegijs nulla contraria conſtitutione derogatum. Quin imò noſtri milites, non tantum pro patria vindicanda, pro laribus ſepulchrisq; avitis, ut Romani conſvevêre, ſed & pro ſanctiſſima

religione, ſanguinem animumq; profundunt. *vigl. in pr. I. de mil. teſt. Mynſ. ibid. n. 4. Boc. d. loc.* Loquimur autem de militibus ſacramento obſtrictis: Nam vagantes iſti Gart-vnd Herrnloſeknecht privilegijs his nullo modo frui poſſunt. R. A. zu Augſpurg de anno 1555.

25. Pœnarum ſeveritas in bello gravior, quam pace, eſt ſiquidē efficaciſſima ad militiam firmandā, ita ut à militibus, Imperator potius, quam hoſtis metuatur. Militum a. delinquentium pœnæ variæ dicuntur à ſcriptoribus: Frequentius tamen, quod ſint, vel communes, quæ ex communi delicto, quod in paganos ſimul & milites cadit, infliguntur: vel propriæ militum, quæ ex militari delicto, quod quidam ut milites, at aliter, quam diſciplina militaris exigit, admiſerant, imponi ſolent: Suntq; vel leviores, ut mulctæ pecuniariæ, vel alioquin modicæ corporis caſtigationes: vel graviores, tam capitales, quam infamia, quæ dicitur exautoratio. *Obrech. de admin. bell. th. 1000. Henr. Boc. de jur. l. 1. c. 13. Caſm. c. 48.*

26. Conveniens hoſtium impugnatio, fit vel dolo, vel vi aperta: dolo fit, quando omnis generis ſophiſmata clanculum adhibentur ad inferendum hoſti damnum. Quo pertinent.

27. 1. Stratagemata: Quæ tamen à plerisq; tanquam bonæ fidei è diametro contraria rejiciuntur: Sed noſtro judicio non rectè: Nam illa abq; perfidia ſolerter excogitata licita eſſe & permiſſa apparet ſatis ex eo, quod Deus ipſe ijs uti mandavit Joſuæ. *Ioſ. 8. 2.* Davidi: *2. Sam. 5. 23.* Et naturalis ratio ſvadet dolo (non tamen malo ſed medio) & aſtu & calliditate hoſtes ſuperare tutius eſſe, quam vi apertâ. Nec ad juſtitiam intereſt, cum juſtum bellum ſuſceperis, utrum aperta pugna vel inſidijs vincas. *c. Dominus. 23. q. 2.* Quo etiam facit *l. 26. ff. de captiv* quæ nihil intereſſe docet, quomodo captivus reverſus ſit, utrum dimiſſus, an vi vel fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit. De hiſce ingenioſè excogitandis, tam ut tibi caveas, quam ut hoſtem opprimas. *vide Frontinum pe. ul. lib. de ſtratag. & Ramz. in peeul. etiam ea de re tractatu.*

27. 2. Exploratio: quam multi quoq; infeſtant: ſed fruſtra, nam exploratores etiam fuerunt, in exercitu Iſraëlitarum: Et quidem viri boni, velut Chaleb. *num. 13. vida Dan. 3. pol. 6.* Fieri a. explo-

exploratio illa adſolet, vel per homines proprios, quæ cautione, ſummâ peragenda eſt, ne hôſti nocituri nobis obſimus, & hominibus noſtris interceptis & tormentis ſubjectis ſecreta noſtra emanent. Vel per captos ab hoſtibus, de quibus utiliter examinandis ut ſecreta prodant, *Rantz. 2. de bell. 4.* Vel per occultas epiſtolas, ubi ſumma quoq; prudentia eſt adhibenda, ne hoſti innoteſcant. *vide Plin. lib. 26. c. 8. Gell, l. 17. c. 19. Herod. lib. 1.*

29. 3. Procuratio diſcordiarum, tumultuum ac ſeditionum in hoſtium exercitu: quam etiam licitam arguit. *Ioſ. c. 2. verſ. 1. 1. Sam. 14. 7. Alth, 29. modos vide apud Rantz. d. l. 2. de bell. c. 14.*

30. 4. Interceptio cum militum, tam internorum ipſius hoſtis, quam auxiliarium copiarum, quæ hoſti ſubmittuntur, tum commeatus, quem vel ipſe vehit, vel ab alijs advehitur. *vide Rantzov. d. loc. cap. 15.*

31. 5. Corruptio hoſtium & procuratio proditionis, quæ, an licita? non omni dubio caret. *Timpl. 4. pol. 10. q. 7.* planè negat, *Pet. Martyr. ſup. cap. 1. jud. & loco com: de bell.* affirmat: *Dan.* diſtinguit, quod tum inprimis rectè utamur, ſi ultrò ſe offerant ex partibus hoſtis. *7. pol. 6,* ubi & contra *Martyr. d. loc.* demonſtrat, quod vir pius patriam, quam cauſam fovere injuſtam novit, non prodere, ſed fugere ab ea & poſſit & debeat. Nam prodere conſcientiâ bonâ nequit, quia fidem alioqui datam violaret. *vide Keck. d. 5. l. p. 485.*

32. 6. Inſidiæ, i. e. copiæ occultæ, quæ in id diſponuntur, ut ex improviſo hoſtem adoriantur, quibus frequenter belli duces uti conducet, ſunt enim facile ad victoriam compendium. de ijs collocandis *vide Rantz. d. l. c. 4.*

33. 7. Mora & cunctatio vel ad hoſtem eludendum, & occaſionem rei benè gerendæ ei præcidendam: vel ad premendum fame Nam quem morâ & fame vincere poſſumus, eum armis adoriri non debemus, ut noſtro militi parcamus. *vide Schonb. 6. pol. 28.*

34. Vi aperta fit impugnatio tribus potiſſimum modis: prædatione, obſidione & pugna.

35. Deprædatio eſt direptio omnium ſubſidiorum, hoſti neceſſariorum, ſpoliatio civitatum, oppidorum, munimentorumq; captorum: quæ quidem adverſus hoſtes exerceri poteſt, ſed

ſed ita ut frugibus, agris, hortis, arboribus fructuoſis parcatur, nec extirpentur niſi magna utilitas & neceſſitas ſvadeat. *Deut. 20. & 23. Ioſ. 5. 1. Sam. 15. 2. Reg. 3. Alb. Gentil. 2. de jur. bell. 23. Dan. 7. pol. 6.* & certus modus adhibeatur, ne deprædatio illa degeneret in furta. *Thol. 11. de Rep. 10. Alth. c. 30.*

36. Obſeſſio eſt, cum propugnacula hoſtium impetuntur, & præſidijs ordinatis, continuisq; inſultibus impugnantur. Hic quædam tam obſidentium, quam obſeſſorum munera ſunt attendenda.

37. Obſeſſuro ſvadetur: ut 1. luſtret loci obſidendi conditionem & qualitates: 2. conſideret, quantum commeatum hoſtis habeat vel habere poſſit: 3. inſtrumenta oppugnationis habeat expedita. *Rantzov. 4. de bell. 1. Dan. 7. p. 4.* 4. pavorem quocunq; modo obſeſſis incutiat. *Frontin. 3. ſtratag. 8.* 5. eliciat ſubinde incluſos in campum, inprimis cum ſe paratum ſentit ad pugnandum. *Rantzov. lib. 3. de bell. c. 5.* 6. intercipiat auxilia obſeſſis. *Rantz. d. l. 3. c. 2. & 3.* 7. avertat flumina, aut ſi fieri nequit, adaugeat, ita ut inundatio noceat incluſis. *Rantz. d. l. 3. c. 8.* 8. non temerè in oppugnando impetum faciat, ſed quoad fieri poteſt parcat militi, ſubterraneis ſubfoſſionibus & cuniculis: ubi tamen prudentia utatur exquiſitâ: *Veget. 4. c. 24. Dan. 7. pol. 2.*

38. Obſidendi aut obſeſſi obſervabunt ſeqq: 1. ne patiantur ſe temerè obſideri ab hoſte, niſi fortè de commeatu abundanter ſit proſpectum, & locus, quo obſidentur, ſatis ſit munitus. 2. inſtructi munitionibus & annonâ, forti conſtantia obſeſſionem patiantur, exemplo multorum, qui potius extrema perpeti, quam deditionem facere voluerunt. 3. carent ne premantur inopia vel aquæ, ubi conducit *teſte Veget. d. l. 4. c. 10.* ut in omnibus publicis ædificijs multisq; privatis ciſternæ ſubſtituantur, ut receptacula aquis pluvialibus, quæ de tectis effluunt, præſtent, vel annonæ, quo facit, ut dimenſione ſalubri per idoneos procuratores erogationem faciant. *Veg. d. l. c. 4.* 4. præ ſe ferant abundare ſe in his, quæ maximè deſunt, exemplo Romanorum, cum à Gallis capitolium obſideretur: *de quo Val. Max. lib. 7. c. 4.* 5. ſiqui obſeſſorum deditionem urgeant, muneribus & dehortationibus detineant potius, quam

vi ſe

vi reprimant. 6. Hoſtibus in urbem irrumpentibus de eminen-tiore loco, ſaxis & alijs telorum generibus obvient. *Veget.d.l.4 c.20.* 7. intra mœnia maneant, nec erumpant, niſi ſummâ neceſſitate urgente aut utilitale alia ſvadente, quo ſolo caſu plerumq; felici eventu eruptiones fiunt; quia acerrima virtus eſt, quam ultima neceſſitas extundit. *Sen. de clem. c. 2* Et certè eruptione nullam tam parvam faciunt jacturam, quin eis,& propter paucitatem ipſorum, & propter difficultatem recuperandi nova præſidia, longè maxima videri debeat. *Rich. axi. pol. 126.* 8. ſi deditio omnino per extremam neceſſitatem facienda, hoſtem eà celatâ, ad tolerabiles conditiones adducant. *Keck. 1. Syſt. 31. Schonb. 6. pol. 21.22.*

38. Hic expugnatores, licet loca capta, non dedita ſed vi expugnata diripere poſſint: *Rantzov. l. 4. c. 14.* humanitatis tamen memores eſſe jubemus, & parcere legatis hoſtium, item infantibus, fœminis, agricolis, & reliquæ imbelli turbæ, ut & cadaveribus mortuorum. *Alb. Gent. l. 2. de jur. bell. c. 21. 22. & 24.*

39. Porro tam inobſidione dicta, quā pugna, de qua ſtatim, excubiæ perquam neceſſariæ, tam diurnæ, quam nocturnæ: in quibus milites diſtribuant interſe ſtationum vices & per tempus præfixum diligenter & curioſè obſervent. Nam quoniam impoſſibile in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideò in quatuor partes ad clepſydram ſunt diviſæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare, *ait Veget. lib.3.c.8.* Interim ſubinde Dux eos viſitari curet,& ipſe nonnunquā obeat, & in officio negligentes deprehenſos capitali ſupplicio afficiat, quia nulla negligentiæ venia, ubi de ſalute certatur, *inquit idem Veget. d.l. c.5. adde Geil. 1. de p. p. c.3. n.32.*

40. Ne autem ab excubias agentibus ſuæ cohortis milites lædantur, ſed hoſtes citius dignoſcantur, teſſera militaris (die Loſung) conſtitui ſolet à duce, quam tamen unico verbo, veluti palma, victoria, triumphus, Imp: Deus nobiſcum &c. concipi & quotidiè variari debere ſvadet *Veget. d. loc.* ubi etiam putat inventam eſſe teſſeram ad exemplum veterum militum, qui ne in tumultu prælij à ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis cohortibus diverſa in ſcutis ſigna pinxerunt, quæ digmata nominarunt.

41. Pugna ſequitur, quæ eſt actio bellica, quâ cum hoſte fit congreſſus & concertatio: eſtq; vel velitatio, vel prælium.

42. Velitatio eſt pugna, cum pars exercitus, cum parte hoſtilium copiarum congreditur, ad quam ſubinde captatâ occaſione milites emitti conducit: cum, ut ipſi milites ad prælium præparentur, tum ut vires hoſtiles arrodantur, & paulatim debilitentur.

43. Prælium eſt pugna, cum toti exercitus committuntur: cujus ſpectanda rurſum, *1.* antecedentia ſeu præparatoria: *2.* ipſe actus. 3. conſequentia, ſeu finis & effectus.

44. Antecedentibus adnumerantur: 1. commoda occaſio & nimia neceſſitas, ſine his enim nunquam publico certamine confligendum monet. *Veget. l. 3. c. 26.* quia quævis alia ratio, quâ hoſtis vires frangantur, ineunda & tendanda prius eſt quam conflictui locus detur: Laudatiſſima illa Scipionis vox eſt, quod maluerit unum ſervare civem, quam mille hoſtes occidere. Hunc ſequi oportet omnes, bello qui præſunt: alieno ſanguini tanquam ſuo parcant, & ſciant homini non eſſe prodigè utendum *Sen. ep. 89.* Flagitante autē neceſſitate, loci & temporis occaſio oportunitasq; probè ſpectanda. illum commodiorem autumat *Veget. l. 3. c. 43.* quando ſuperior eſt, quod in ſubjectos vehementiùs tela deſcendant, & majori impetu obnitentes pars altior pellat: tempus oportunum judicant, ſi milites non ſint laſſi aut fame confecti, hoſtis vero jejunus & famelicus: item ſi ſol, ventus, pulvis exercitui inter pugnandum non obſint. *vide latius Frontin. l. 2. c. 2. Rantz. lib. 3. de bell. 2. caſtel. l. 2. c. 68.*

45. 2. Juſta militū & ducis præparatio ad prælium & mortem, quo præcaveatur omnis panicus terror, qui ſæpè milites nullis juſtis ex cauſis invadit: dux igitur ubi formidinem ex vultu, verbis, inceſſu, moribus animadverterit, ſtrenuè & animosè ei obveniat. *Veget. l. 3. cap. 12.*

46. 3. Prudens aciei inſtructio & diſpoſitio, tam ad inferendum, quam reſiſtendum. Qua certè in re plurimum momenti eſt: Nam imperitâ diſpoſitione, quamvis optimi ſint bellatores, tamen franguntur *Veget. 3. c. 15.* Peritè autem diſponitur, ſi pro ratione

tione circumſtantiarum, locorum, hoſtis, modò quadrata, modò corniculata & ſemicircularis, modo alia formetur: qua de re agit ſpecialis diſciplina polemica: inprimis tamen videbit dux ut aciem prius diſponat quam hoſtis. *vide Rantzov. d. l. 3. c. 4. Lipſ. l. 5. civ. doctr. 16. veg. l. 3. c. 14. & alios.*

47. 4. inſidiæ ſeu potius ſubſidiariæ copiæ, quas poſt aciem ex lectiſſimis equitibus & peditibus diſpoſitas Dux habeat. *Thol. 11. de Rep: 3.*

48. 5. Publica Imp: allocutio & adhortatio, qua vel retinet nimis & properè geſtientes, vel impellit tardantes & timentes: *vide Veg. 3. l. c 9.* Adhortationẽ excipit claſſicũ, quando & ad pugnandum & inter pugnam, tibicines & cornicines pariter canunt, tympanaq; pulſantur: & ſignum pugnæ: illud auribus, hoc oculis ſervit. *Veget. l. 2. cap. 22.*

49. 6. Eodem & referri poſſunt, inconditi quidam clamores, tum in hoſtium terrorem, tum in ſuorum incitamentum, à varijs populis adhiberi ſoliti: de Macedonibus *vide Curt. lib. 3.* Germanis antiquis: *Tac. de mor. Germ. c. 1.* Iſraêlitis in occupatione Hierichuntis: *Ioſ. 6. 20. 2. Mac. 14. 15.* Romanis, qui clamoribus ſtrepitum & armorum concuſſionem addidêre. *Polyb. l. 1. & 12.* de Turcarum ululatu horribili *vide Cam. 1. medit. hiſt. c. 77.*

50. Ad actum pugnæ numeramus: 1. conſtantiam & confidentiam, poſthabitâ omni animi abjectione & triſtitia. 2. celeritatem, ne ſpatium detur perterrefactis hoſtibus ſeſe rurſus colligendi. 3. fugam temeritatis, ne facilè primus impetus affectetur. 4. ordinem aciei, ne ille interturbetur, nec ultra, quã expedit, agmẽ conglomerent milites aut laxent. *de quibus Veg. Caſtel & alij paſſim.*

51. Unde patet, quid de illa ſentiendum quæſtione, anne dux belli prælio intereſſe debeat? Quia ſine ejus præſentia prædicta nunquam rectè curabuntur: Nam quis quæſo militem animum deſpondentem maſculâ voce animabit fortius quàm is? quis incitabit? quis cohibebit? quis circumſpiciet eâ quâ par eſt diligentiâ, ne aciei ordo perturbetur, ne à tergo & fronte ſimul oppugnetur, atq; adeò ne cingatur & circumveniatur ab hoſte? Quibus omnibus non obſervatis impoſſibile eſt; ut victoria, ſperari

Digitized by Google

rari poſſit: Quare haud inconcinnè *Guevara in Flor. P.* ſcribit *l.1.c.3.* Ducis præſentia exercitui, plus conſilij, plus virium addit, nam in milite unius ſors, Imp: univerſum periculum. Et nihil Reip: damnoſius, nihil homini turpius, quàm ſi illius fidei credatur exercitus, qui in imperando primas in bello ſibi vindicat, ubi ad manus ventum eſt, poſt principia ſibi cavet loco: Et hanc opinionem omnium fermè populorum ſuffragijs & moribus ſtabiliri communiter autumant. Nos aliorum judicio ſalvo diſtinguendum putamus inter ducem belli ſummum ſeu Principem Reip: & ducem ſubordinatum exercituiq; præpoſitum: hunc ſemper, illum non niſi neceſsitate, (à ſubditorum moribus & ingenijs, aliâve ratione ortâ) ſummâ poſtulante, prælio intereſſe, ſed potius aliquo intervallo à prælio ſeparato manere debere. Uterq; autem, ſi utilitas Reip: intereſſe jubeat, ſummè cavebit, ne in pericula ſeſe temerè conjiciat, *vide Lipſ. 5. civ. doctr. 16. Rantz. de bell. l.2.c.8.9. K.d. ſæpè c.31. lib. 1. Syſtem.*

52. Tractari etiam hic quæſtio illa poteſt: an qui in militiam prodeunt, auro, gemmis, argento & veſtibus pretioſis ſe ornare debeant? Diſſvadent prudentes, vel hoc maxime argumento, quod hæc ſint prolectamenta hoſtium, quibus incitantur ad fortiter pugnandum: Quæ omnia prohibere prudentis & ſtrenui ducis eſt.

53. Conſequentia prælij varia ſunt: inprimis tamen ſeqq: Dd. recenſent: 1. ut obtentâ victoriâ cohibeantur milites, ne citò nimis in prædam diffundantur: Nam multos ob eam ſtragem miſerabilem paſſos, ubivis hiſtoriæ monent. *Tacit. l. 4. hiſtor. vide Lipſ. d. l. Bodin. 5. de Rep:* 5. 2. ut hoſtibus fuſis & fugientibus non nimium inſtent. *Tol. 10. de Rep. 11. Hippol. de Coll. c. 8. in Princ.* 3. cladem accipiens fortiter Dux ferat, dubium belli eventum eſſe cogitet, nec ob unius prælij eventum infelicem ſtatim animum dejiciat. *Tol. l.11.c 12. Alth. c.30.* 4. milites vulnerati probè curentur, exemplo Trajani, *de quo Dion. lib.68. Rantz. l.3. c.14.* 5. cadavera cæſorum terræ mandentur, quia ex ijs inſepultis magna morborum ſeges pullulat: *Camer. 2. medit. hiſt. c. 64.* 6. capti ab hoſtibus conſerventur, & non contra omnem humanitatis rationem interficiantur:

Digitized by Google

ſciantur: niſi & illi crudeliter noſtros captivos tractârint, vel magna ſit de ijs præſumptio & ſuſpectio futuri mali. *1. Reg. 20. 2. Reg. 6. 2. Chron. 28. jud. 20. Nehem. 9. 2. Sam. 8. Thol. d. l.*

54. Finis belli eſt victoria, eamq; ſubſequens pax aurea: victoriâ autem obtentâ, Deo adſcribenda ea eſt præcipuè, eiq; ſolennes & publicæ gratiæ agendæ. *Iudic. c. 7. 1. Sam. 14. Pſalm. 143.* non vero ſuperbius & incautius mentes humanæ efferendæ. *Veg. l. 3. c. 25.* Eâ etiam cautè, leniter ac moderatè utendum, cogitandumq; rerum humanarum circulum eſſe quendam, qui non ſinat eoſdem ſemper felices eſſe, fortunamq; vitream & mutabilem. *Herod. lib. 1.* Declarabatur olim victoria, triumphis, trophæis, ovationibus & coronationibus: *De quibus Liv. Gell. Lucan. & alij. vide P. Cam. 1. medit. hiſtor. 12.*

55. Victoriam ſubſequitur pax vel induciæ: illam, ſi fieri poteſt, victi quærant honeſtam, bonam, ſimplicem & candidam, non turpem, eâ enim mors potior, & tutius eſt bellum apertum pace ſuſpectâ *Thol. 3. de Rep: 13. Bod. 5. de Rep: 5. Lipſ. l. 5. civ. doct. 17.*

56. Tractationem & colloquium de pacificatione & inducijs viris prudentibus & fidis committendam eſſe conſulunt politici plerique ob varia incommoda, moleſtias, fremitus, & pericula, quæ, ſi ipſi Principes interſint, facilè oriuntur: *vide P. Comm. lib. 1. & 3. ſuarum hiſtor. 7. exemplis hoc confirmantem.* Quod ſi tamen illis ita placuerit, armatos convenit eſſe duces de ijs tractantes. *Thol. 4. de Rep. 10. Bod. 5. de Rep. 6.*

57. De inducijs quæri poſſet, an illas ſæpius concedi bellúq; interrumpi conſultum ſit. *Ioh. Bot. & alij* affirmant, ne ij, contra quos bellum geritur, aſſveſiant armis & indureſcant. quibus tamen adſenſum difficulter præbemus: quia bella de novo inſtaurata plerumq; acerbiora eſſe ſolent & perículoſiora, quemadmodum morbi recidiva periculoſior eſt quam ipſe morbus.

58. Si tamen pax ſemel ſancita aut induciæ pactæ ſint, ſtrenuè erunt cuſtodiendæ, nec ullum medium negligendum, quod poſſit ad eam conſervandam conducere. *Tol. 11. de Rep. 14.* violatoresq; acerrimè puniendi. *Richt. axiom. pol. 275.* Hinc ad majorem firmitatem obſides dari receptum eſt, qui, ſi dantes deſciſcerent

 à fide,

à fide, capite olim luebant. *vide Gell. 1. de P. P. 2. num. 12. Cæſ. lib. 1. de bell. Gal. Tacit. 12. ann. 3.*

59. Inter effectus belli numerantur vaſtationes, incendia rapinæ, de quibus ſupra, captivitas, quæ tam victos, quam eorum res plenæ vincentis poteſtati ſubjicit. *De quibus alij prolixius conſulendi.*

60. Subſequitur belli ſubjectum: quod duplex facimus: recipiens & objectum. Recipiens eſt exercitus, qui hominum ad belligerandum per delectum ritè convocatorum multitudo definiri poteſt: & partes duas habet, Ducem & milites.

61. Dux eſt, qui ſuis auſpicijs & ductu rem gerit, quem unũ eſſe ſummum oportet, ſi enim multi ſint æqualis poteſtatis, tum vel nullum omnino, vel incertum & diſcordijs obnoxium erit regimen. *Bodin. 6. de Rep.* 4. in eo ſeqq; qualitates requiruntur: 1. dignitatem & ſplendorem familiæ, quæ tamen non tam inſpicienda quam reliqua requiſita. 2. ortum, ut indigena magis ſit quam peregrinus, ſi modo is ſit idoneus. 3. ætatem tanto muneri obeundo aptam, quæ nec ſenilis nec juvenilis nimis ſit. 4. rei militaris peritiam, tam ex doctrina & lectione rerum bellicarum hauſtam, quam ex proprijs caſibus & experientia acquiſitam. 5. prudentiam militarem, ut nempe poſſit conſilia prompta ex tempore capere, & habeat acumen inveniendi artificia & ſtratagemata belli. 6. virtutem ac morum probitatem. 7. induſtriam. 8. ſeveritatem moderatam. 9. taciturnitatem. 10. continentiam, 11. fortitudinem, 12. facundiam. 13. autoritatem. 14. felicitatem. *vide Veget. 3. de re milit. 16. Thol. 11. de Rep. 4. Caſm. in vit. pol. c. 40. Alth. c. 29.*

62. Milites conſiderantur, vel abſolutè, quatenus ſunt milites, vel relatè quatenus ſunt officiarij. In illis ſpectanda iterum ſunt tria: 1. conſtitutio: 2. diſtinctio: 3. dimiſſio.

63. In conſtituendo milite, iterum perpendi ſolet. 1. ejus conſcriptio, 2. probatio & luſtratio: 3. receptio & auctoratio.

64. In conſcriptione rurſum 3. obſervanda: 1. modus conſcriptionis 2. unde conſcribendus miles: 3. conſcribendi qualitas.

65. Modum conſcribendi *Veget. l. 1. c. 7.* duplicem facit, unum quem deliberatò nominat, cum, à Principe certi hinc inde conquiſitores mittuntur, qui tympano, tuba aut alio ſigno publico

data,

dato, ad expeditionem milites alliciunt, allectorum nomina, additâ ſemper patriâ, conſignant, & in fidem ſtipendij partem numerant: alterum ex improviſo, quando neceſſitate flagitante, vel per pulſum campanæ, vel per ſonitum fulminalis machinæ vel per vexillum expanſum ſubito cives colliguntur.

66. Conſcribi autem poſſunt milites vel ex patria vel alijs locis: utrum autem melius peregrini an indigenæ legantur, apud politicos diſceptari audies: pro illis pugnat *Alex. ab Alex. lib. 1. c. 20. Lipſ. 1. c. 9. 10.* pro his *Bodin. 5. de Rep. 5. Thol. 23. de Rep. 9. M. Iun. q. p. 70. p. 111.* cum ob ſtipendia, quæ his minora quam illis conſtitui poſſunt, ne ærarium exhauriatur, tum ob mores, qui in his tam moroſi, contumaces & moleſti non præſumuntur, ut in illis, pugnant n. indigenæ pro ſuis rebus: aliasq; ob rationes, quæ dd. autores recenſent, ſimulq; ſvadent, ut Magiſtratus ſubditos ſuos pacis tempore ſolicitè exerceat & præparet ad tractationem armorum. *Adde Caſ. in Sphær. 2. c. 5. Alth. c. 28.* Ne tamen vel ob naturam ſubditorum & ingenium Martiale vel locorum & temporum conditionem ſeditiones moveantur, magiſtratusq; ob illam armorum permiſſionem in tuto eſſe nequeat, alia remedia quærenda erunt, ut nempe aut non ita multi ad exercitia iſta adhibeantur, aut iſtis obſolutis in certum locum publicum arma deponere ſubditi cogantur. *Keck. 1. Syſt. 29. pag. 447.*

67. Qualitates quæ in milite ſpectandæ ſunt. 1. ætas juvenilis & vegeta; non ſenilis & rude donanda: 2. corpus compactum ſalubre & ferens laborum, non pingue nimis aut laxum, aut mancum, ſtaturæve minimæ. *arg. l. 3. ff. de re milit.* 3. animus præſens ac alacer, qui ad ſuſpicionem vulneris non palleſcat, legum ſit metuentiſsimus & in hoſtes audaciſsimus. 4. vita præterita, quæ ejuſmodi fuerit, ut exercuerit artificia duriora & aſpera. Unde idonei magis cenſentur fabri ferrarij, carpentarij, macellarij, venatores, piſcatores, agricolæ &c. quam ſedentarij & artium molliorum cultores, veluti ſartores, ſutores, textores, dulciarij &c. 5. mores probati: ne vel infames vel ſervilis abjective ingenij homines eligantur. *l. 4. §. adulteri ff. de re milit. l. 2. §. miles ff. de his qui not. infam. Veget. d. ſæpè l. Lipſ. lib. 1. de mil. Rom.*

 68. Pro-

68. Probatio & luſtratio militum conſiſtit in eo, ut lecti in locum certum amplum & patentem à militaribus commiſſarijs convocentur, eorum mores & arma explorentur, inepti rejiciantur, idonei de novo in peculiarem catalogum inſcribantur, & novo aliquo ſymbolo, pecunia nempe vel armorum genere ligentur: Et hic actus dicitur probatoria militum, nobis die Muſterung. *vide Boc. lib. 1. de bel. c. 9. & 11.*

69. Autoratio in duobus poſita videtur: 1. juramenti militaris præſtatione, quâ piè & ſanctè jurant ſe Ducis imperio morem geſturos, nec militiam deſerturos ac fugam captaturos, nec mortem detrectaturos, omnes articulos & jura militaria ſtrenuè ſervaturos, & diſciplinam militarem non turbaturos. Et hoc juramento præſtito, miles habet auctoramentum; h. e. militandi in militia facultatem legitimam. *Gell. 16. c. 4. vide Veget. l. 2. c. 5. Alth. cap. 29.* 2. receptione ſeu relatione in certam claſſem ſeu ordinem, qualis eſt regimen equitum, peditum & rei armamentariæ. Regimen equitum ſecatur incohortes, quæ plerunq; 250. vel 300. & turmas, quæ plerunq; 50. conſtant equitibus. Regimen peditum, incohortes, quæ 300. vel 400. & contubernia, quæ 10. pedites levioris armaturæ ſeu ſimplares, vel 5. duplares continet. *Boc. l. de jur. bel. c. 11. Obr. in diſp. de jur bel. Alth. d. l.*

70. Diſtinguuntur porro milites varie: 1. in equites & pedites. 2. in levis & gravis armaturæ, 3. primarios & gregarios: 4. ordinarios & ſubſidiarios, ordinarij rurſum vel certis locis regni adſtricti, vel in ſuis domicilijs relicti: illi dicuntur ſtationarij, ſuntq; vel limitanei, qui limitibus regni tuendis diſpoſiti ſunt: vel præſidiarij, qui ad locum aliquem ſervandum collocantur, die in der beſatzung liegen. vel prætoriani, quos Princeps circa ſe habet. Hi actu nondum militant, armis tamen expediti ſunt ad poſtulationem principis. *de quibus omnibus vide Keck. c. 40. Caſm. c. 42. vit. pol. Lipſ. 5. civ. doct. 11.*

71. Haud inelegans politicorum quæſtio, pluſne poſſint in bello equites an pedites? hic examinanda. Et peditum majorem utilitatem eſſe cenſemus; quia 1. in omnibus ac ſingulis actionibus bellicis proſunt, cum contrà equitum ſolum in prælij faciliori

faciliori expeditione conſpiciatur uſus: 2. equitum in locis montoſis & inviis, ſylvis, vineis, vallibusq;, ut & in oppugnationibus & defenſionibus urbium & caſtrorum nullus aut ſaltem perexiguus eſt uſus, cum contra peditum ſit maximus: 3. facit etiam quod minoribus ſumptibus & impenſis comparari & nutriri poſſint pedites. *vide Lipſ. 5. doct. civ. 7. Veget. 2. c. 1. Mach. 2. diſp. 18.*

72. Cœterum bello confecto non retinendi milites in ditione Principis, præſertim ſi extranei ſint, ne ſeditionem moveant vel latrocinia exerceant, ſed dimittendi datis teſtimoniis ſeu literis publicis, quas noſtri Paßbort vocant.

73. Tantum de militibus ſimpliciter conſideratis, officiarij diſtinguuntur vel reſpectu totius exercitus, vel reſpectu certæ ejus partis.

74. Officiarius reſpectu totius exercitus eſt vel major: ut 1. Dux belli der Feltherr vnd Feltoberſter de quo ſupra: 2. illius vicarius ſeu legatus, der General oberſte Leutenandt. 3. ſupremus rei armamentariæ præfectus, der oberſte Zeug oder Artolorey Meyſter. 4. ſupremus excubiarum præfectus, der oberſte Wachtmeiſter. 5. ſupremus metator atq; menſor der oberſt Quartiermeiſter. 6. ſupremus quæſtor der oberſte Pfenningmeiſter. 7. ſupremus annonæ præfectus, der oberſte Proviantmeiſter. 8. ſupremus rerum capitalium præfectus, der oberſte Feltprofos: vel minores ut ſecretarius ejusq; amanuenſes, & felicialis der Heroldt.

75. Officiarius reſpectu partis rurſum eſt vel majoris: & tum regiminis vel equitum, ut 1. Magiſter der Feltmarſchalck, i. e. cuſtos diſciplinæ militaris. 2. ejus vicarius Feltleutenandt. 3. præfectus equitum Befehlchshaber vber die Reuterey. 4. Equeſtris metator der Reyſigen Quartiermeiſter. 5. præfectus excubiarum. 6. prætor der Reuterprofoß. Vel peditum: ut 1. Magiſter peditũ, General Befehlichshaber vbers Fueßvolck. 2. vicarius illius. 3. tribuni peditum 4. decuriones die Rottmeiſter. 5. judex generalis peditum, der Regiment Schultz ejusq; adſeſſores, 6. præfectus vigilum. 7. pedeſtris annonæ ſtructor. 8. metator pedeſtris, 9. executor rerum capitalium Profoß. 10. lixarum & calonum ductor vber den verlornen hauffen. 11. apparitor judicis. 12. carceris cuſtos.

 13. licto-

13. lictores, qui capiunt condemnatos & in carcerem conjiciunt Steckenknecht. Vel rei armamentariæ: ut 1. quæſtor armamentarius Zahlmeiſter/ 2. aggeribus ſtruẽdis præfectus Schantzmeiſter: 3. quæſtor der Artolorey Profoß. 4. cuſtos der Zeugwarter, 5. aurigarum præpoſitus Geſchirrmeiſter/ 6. quadrigarum ſeu vehiculorum præfectus Wagenmeiſter. 7. foſſorum & cunicularioruṁ præpoſitus der Schantzbauren Heuptman. 8. pontium magiſter der Brückenmeiſter. 9. præfectus machinæ fulminalis der Büchſenmeiſter. 10. nitrati pulveris cuſtos der Pulverhüter/ 11. chirurgus armamentarius der Artolorey Balbirer 12. cunicularij. Vel minores, ut ſunt officiarij cohortum, cum inequitatu. 1. præfectus Befehlhaber vber ein Fehnlein Volck. 2. vicarius ejus. 3. vexilrius. 4. equeſtris diverſariorum deſignator der Reiſige Furirer 5. decuriones equeſtres: tum pediatu ut 1. tribunus peditum, qui totam cohortem gubernat. 2. ejus vicarius. 3. ſignifiter. 4. ordinum ſtructor ſuperior der Oberſte Feltwebel. 5. pedeſtris diverſoriorum deſignator. 6. ordinum ductor der Fuhrer. 7. decuriones pedeſtres. *Rantz. 1. com. de bel. u. uti ex Fransbergio lib. 4. Svendio in diſcurſ. milit. enumerat Schonb. 6. pol. 15.*

76. Tantum de ſubjecto recipiente, occupans eſt hoſtis cui ſolenniter bellũ eſt indictum *l. 118. de V. S.* qui quantuluſcunq; ille ſit, contemnendus tamen nullo modo eſt: Eiq; fides data fideliter ſervanda eſt *c. noli 23. q. 1. Hot. ill. q. 7. Bodin. 5. pol. 6.*

77. Reſtat belli diſtributio, quæ varia dari poteſt; 1. deſumitur ex fine quod aliud ſit defenſivum, aliud offenſivum.

78. 2. Ex objecto quod aliud ſit internum, ab ejuſdem civitatis hominibus inter ſe geritur: Eſtq; vel ſubditorum inter ſe, & dicitur factio, vel ſubditorum contra magiſtratum & dicitur ſeditio: vel externum, quod contra aliam ditionem geritur: illud hoc deteſtabilius.

79. 3. Ratione loci quod aliud ſit, cum vicinis, quod ſemper periculoſius & funeſtius eſſe ſolet; aliud cum remotioribus, quod eò minus periculi habet, quo magis ſecurus per vicinas ditiones datur tranſitus. item quod aliud terreſtre, quod terrâ: aliud

aliud navale quod in aquis ſeu mari geritur: hoc eſt magis ſævum, & inſignem navium & inſtrumentorũ nauticorum apparatum requirit, & commeatum à terreſtri diverſum, quoad præparationem & aſſervationem poſtulat, & inprimis globorum & pyrobolidum maximam peritiam exigit. *vide Rantz. lib. 5. de bell.*

ΠΑΡΕΡΓΑ ex lib. 4. Inſt. Imp. tit. 5. prioribus.

1. Licet acuendi ingenium medium quidam furtum duxerint, nos tamen jure naturali turpe eſſe & prohibitum dicimus.

2. Si non deſint indicia probabilia, Magiſtratus autoritate etiam hodie inquiſitionem rei furtivæ in alienis ædibus fieri poſſe tuemur.

3. Eum, qui neceßitatis tempore alimenta furatus eſt, furti pœnæ non ſubjicimus.

4. Pœnam ſtrangulationis, quâ hodie fures afficiuntur, nimis ſeveram, & non facilè uſurpandam ſemper credidimus.

5. Si tamen alicui ea ſit adjudicata, isq; rupto laqueo in terram cadat, à cruce non abſolvimus.

6. Raptorem mitius puniri quam furem non ducimus.

7. Ruſticum, mulierem, militem ſimilesq; imprudenter rem ſuam apud alium conſtitutam

per

per vim auferentes, pœna l. 7. C. unde vi ſubjacere non admittimus.

8. Vicinum, cujus culpa incendium exortum eſt, vicino ad damnum præſtandum teneri remur.

9. Libero homine occiſo hæredes ejus utiliter ex l. Aquilia agere poſſe negamus.

10. Verbis injurioſis ſubjectam honoris proteſtationem à pœna non excuſare credimus.

11. Retorſionem jure licitam eſſe ſtatuimus.

12. Actionem ad palinodiam ſeu recantationem pro civili ducimus.

13. Judicem contra communem Dd. opinionem judicantem litem ſuam facere concedere non poſſumus.

14. Rectorem navis de furto rerum nondum receptarum, ſed in littore pereuntium teneri concludimus.

Collegij Politico Juridici

DISPUTATIO DECIMAQUINTA

DE

SUBDITORUM VIRTUTIBUS ET OFFICIIS, UT ET ÆRARIO AC COMITIIS.

ET

PRÆCIPUIS QUÆSTIONIBUS
ex lib. 4. Inſtit. Imper. tit. 6. & ſeqq. ad 13.

Quam

AUXILIANTE DEO TRINUNO
IN ALMA HAC ROSTOCHIENSI ACADEMIA,
PRÆSIDE

JOHANNE HENSLERO
Solitarienſi,

PROPUGNABIT
FRIDERICUS Münderich
Neobrand. Megap.

Ad diem 24. Septemb.

ROSTOCHI
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

VIRIS

Ampliſſimis Conſultiſſimis éq; praxi rerum Juridicarum Clariſſimis,

DNO. JACOBO HEINIO U. J. D. & Illuſtriſſimorum ac Celſiſſimorum Principum ac Dominorum, Dni. ADOLPHI FRIDERICI & Dni. JOHAN: ALBERTI, Ducum Megapolenſ. Fiſcali digniſſimo.

ET

DNO. ALBERTO HEINIO U. J. D. Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis ac Dni, Dni. JOHAN: ALBERTI Ducis Megalburg. Conſiliario & Academiæ Patriæ quæ eſt Inclyta Varniadum, Pandectarum Profeſſori fideliſſimo, Præceptori obſervantiſſ.

NEC NON

Doctrina eruditione omniumq; virtutum ornamentis præſtantiſſimis viris-juvenib.

DNO. HENRICO ET DNO. STEPHANO } HEINIIS, Illi Juris, huic S.S. Theoſophiæ ſtudioſiſſ:

Omnibus adgnatis, Mecœnatib. & favitorib. ſuis perpetuo obſervantiæ ſtudio æternum demerendis.

S.

JAmdiu, non tam qua vobis Viri Ampliſſ. Conſultiſſ. Humaniſſ. præſtantiſſimiq; adgnati perpetuà obſervantia colendi, devinctus ſanguinis neceſſitas; quàm qua vobis obſtrictus obſervantiæ perpetuitas quoddam mei erga V V. A A. & HH. ſtudij exigere videbantùr teſtimonium. Recuſavit antidhac loci quo in verſabar diſtantia nec annuere voluit ipſa qua uterer in traſportando commoditas. Nunc v. & loco & occaſione vobis aliquanto propinquior, id quod dudum animus voluit publico hoc teſtimonio exponit, hominumq; limatiorum judicio ſubmittit. Haud par quidem ſi dimetior dignitates veſtris nominibus; non impar v. ſi quas litteris litterarumq; affeclæ ſemel juràrunt & ipſo facto comprobârunt fidelitates. Chartaceum n. eſt, cui præterquam primam ætatis partem conſecrârint huc usq; quid tribuant præter ipſam clientum multitudinem alma hæc cum alijs perplurimis Academia teſtes ponit mecum perplurimos. Reſpiciant ergo AA. & HH. VV. hoc qualecunq; eſt γύμνασμα politico juridicum illudq; à me ut adgnato ſuo certiſſimum erga A A. & HH. VV. obſervantiæ & ſtudij teſtem ſuſcipiant. Hoc ipſo calcar ad majora dabunt meq; V V. AA. & H H. benevolentiæ & humanitatis aſſiduum deprædicatorem habebunt. Valeant. AA. & HH. VV. feliciter. Roſtochij Anno 1614.

VV. AA. & HH.
obſervantiſſ. agnatus
FRIDERICUS Münderich Neobrand. Meg.

DISPUTATIO XV.
DE SUBDITORUM VIRTUTIBUS ET OFFICIIS UT ET ÆRARIO AC COMITIIS.

THESIS I.

HActenus de cura Magiſtratus fusè ſatis diſſeruimus, tempus monet, ut & de ſubditorum virtutibus & officijs aliquid adjiciamus.

2. Referuntur autem eorum virtutes vel erga Deum, vel erga magiſtratum, vel erga ſeipſos.

3. Erga Deum virtus exercenda eſt pietas, quæ eos ad religionem veram ex juſſu ſui magiſtratus ſuſcipere libenter & debitâ obſervantiâ colere hortatur, pœnamq; certò certius ſubditis impijs *à Propheta Eſaia c. 60. verſ. 12.* prædictam effugere jubet: *Dan. 3. pol. 5.* Dicimus ex juſſu, non coactione, eam enim protſus abeſſe à Magiſtratu bono juſtoq; debere *ſuprà diſp. 11. th. 19.* monuimus.

4. Sed pone quod de facto Magiſtratus ſubditos ſuos à religione orthodoxa abducere, & ad errores, hereſes, idololatriam ac impietatem compellere velit, an ſubditi ſeditionem movere, & armatâ manu & vi jugum magiſtratus ſui excutere poterunt? Negativa arridet: etſi enim mandatis illis impijs obedientiam nullam præſtare voce divinâ jubeantur: *Actor. 5. 29. Matt. 10. 32. Rom. 1. 32* Longè tamen diverſa ſunt, magiſtratui impia præcipienti obedientiam non præſtare, & vim ſuo magiſtratui intentare: illud fas, hoc nefas facere, niſi fortè extraordinario Dei mandato fiat. Rectius igitur illo caſu petent ſubditi humiliter à ſuo magiſtratu, ut ipſorum conſcientijs parcere velit, & proteſtabuntur ſanctè, ſe alioqui ei ad omnia civilia obſequia & officia fore promptiſſimos exemplo Mardochiæ: *Eſther 13 aliorum, vide Caſm. in Vit. pol. c. 55.* Aut ſi in caſſum laborabunt & à propoſito non deflectent, è di-

Digitized by Google

tione ejus diſcedent & ſedes mutabunt, juxta ſalvatoris noſtri conſilium. *Mat. 10.* (ſtatuum imperij noſtri Romani ſubditis an diſceſſus neceſſarius, *vide ſuprà diſp.11. th.25.*) Aut etiam, magiſtratu perſecutionibus, exilijs aut crudelibus ſupplicijs inſtante, ordines & ſtatus Reip: adibunt, & eorum auxilium implorabunt. Ad eorum enim officium pertinere magiſtratum ſuis ſubditis tyrannicè ſic utentem coërcere & cohibere, *ſuprà diſp.7. circa finem* diximus. *Vide late de his omnibus Autor. de jur. Magiſtr. q.5. in pr. Dan.5.pol.7. Keck.1.pol. ult.p.526. & ſeqq.*

5. Virtutes magiſtratui debitæ tres præcipuè ſunt: 1. amor q. filialis, & fidelitas conſtans, cujus impulſu ſui magiſtratus vitam defendant, & ab omni proditione, molitione ſicariâ, conventiculis & conſpirationibus abhorreant: *2. Sam.19.43.Thol.8.deRep.3.* 2. obſervantia & ſtudium debito cum cultu & honore proſequendi: *1. Pet. 2. 17. Caſim. in vit. pol. c.54. Keck. 1. Syſt.25.* 3. obedientia & executio mandatorum magiſtratus, durorum licet, & rigidorum, honeſtorum tamen. *1. Pet. 2.18. Keck. d. loc*

6. Virtutes ſubditorum inter ſeſe; pertinent vel erga univerſos ſeu totam patriam, quæ ſunt amor ardens & indefeſſa cura procurandi cuncta quæ ad ſocietates vitæ ſocialis promovendas & incommoditates illius avertendas pertinent. Vel erga ſingulos, eosq; vel ſuperiores, ratione nempe vel dignitatis vel patrimonij, vel ætatis, vel doctrinæ & prudentiæ, quibus honor: vel pares, quibus humanitas, comitas atq; adeò civilis converſatio ſvavis: vel deniq; inferiores, quibus auxilium & conſilium, & ſummatim omnibus concordia debetur. *vide de his omnibus prolixè Keck.d. c.25. ex Richt. Antimach. Alth. Thol. Bodin. & alijs.*

7. Unde judicatu difficile non eſt, quid de quæſtione illa, quæ à quibuſdam politicis movetur, nempe, an liceat cuiq; patriā invitam mutare? ſit ſtatuendum. Præterquam enim, quod *Ulp. in l. aſſumptio ff. ad munic. & Valent. in l. curiales C. de decur.* expreſsè negant, ipſa quoq; ratio dictat, plus deberi patriæ quam parentibus, quos tamen deſerere aut ejurare ſcelus nefandum eſt: ut & civem teneri patriam defendere: At deſerens eam non ſolum non defendit, ſed duplici via exhaurit, tum civibus tum bonis.

vide

vide Aur. B. Cap. IV. quæ caſum publicæ neceſſitatis excipit: Et *Bod. lib. 1. de Rep. 6.* ubi recenſet, quod Eliſabetha Angl: Regina Lenoxium comitem cum filio ex regno Scotiæ revocarit, eundemq; cum redire negaret, cum omnibus bonis proſcripſerit.

8. Hæc de virtutibus: officia ſubditorum poſita potiſſimum ſunt in accuratâ ll. latarum acceptione & obſervatione, ut & munerum à magiſtratu impoſitorum lubenti ſuſceptione & fida geſtione. *Caſm. in vit. pol. c. 56.*

9. Dividimus autem munera in perſonalia & realia. Mixtorum etiam, quæ in labore perſonæ & ſumptu pecuniæ conſiſtunt, *in l. munerum ff. de mun.* fit mentio: ſed cum ea majorem rigorem ſapiant à Rep: Chriſtiana pænè abolita eſſe teſtatur *Florez. Diaz. de Mena. pract. q. 21. n. 5. & 9.*

10. Perſonalia ſunt, quæ præſtantur miniſterio corporis ſeu induſtriâ & labore humano: ſive ſint majora, ut olim erant munera præſidum, quorum in locum mutatâ Reip: facie Principes noſtros acceſſiſſe certum eſt; non tamen etiam in jura, ut Dd. quidam autumant: Præſides namq; muneris tantum & adminiſtrationis nomina olim habuerunt: At noſtri Principes Patrimonij nomina habent, & decorati titulo & dignitate perpetuâ ac in hæredes tranſitoriâ, omnem omninò juriſdictionem in ſubditos exercent: adeò ut communis Dd. ſchola intrepidè adſerat, quod illi in ſuis ditionibus & territorijs tantum poſſint, quantum Imp: in imperio: Quam quidem adſertionem, tanquam gravi judicio ſtatutam ad adſentationem & abuſum paraſiti aulici ambabus ampleċtuntur manibus: Nos magno errore introductam eſſe ſtatuimus *cum Borch. de Ff. c. 5. n. 37. Valent. Forſt. de ſucc. ab in teſt. l. 6. c. 24. n. 33. & alijs cautius & melius ſentientibus & loquentibus.* Sive minora: quæ varia ſunt, & ex cujusq; Reip: ordinatione cognoſci poſſunt. Illud addimus, quod ea delata neceſſario ſint obeunda, niſi immunitas prætendi poſſit, cujus cauſas plurimas *Alth. c. 12. pol.* recenſet:

11. Realia fiunt erogatione ſeu contributione vel pecuniæ vel earum rerum quæ pecuniæ vim & valorem tenent: Et quidem in exactionibus & penſitationibus publicis præſtandis fide-

les & expediti erunt ſubditi, quia omnium temporum hiſtoriæ docet exactionem illam eſſe neceſſariam & vetuſtiſſimam, imò ſimul cum Imperijs emerſiſſe ad hoc, ut tam pacis quam belli tempore res & perſonæ civium in tuto eſſe poſſent. *Bodin. 6. de Rep. 2.*

12. Et hic commoda nobis datur occaſio paucis differendi de ærario, quod tertium commodæ magiſtratus adminiſtrationis medium *ſuprà diſp. 8. th. 2.* conſtituimus, *& diſp. 10. th. 5.* in locum aptiorem rejecimus.

13. Eſt autem ærarium locus, in quo conſervatur pecunia Imperij publica: interdum etiam ſumitur pro ipſa pecunia: Alio nomine dicitur fiſcus, *l. 3. C. de quadr. præſc.* dictus a fiſcis i.e. ſportulis, quibus pecuniæ publicæ olim concludi ſolebant. Quamvis poſtea fiſci vox ſpecialiter tracta ſit ad res ſeu largitiones privatas Auguſti & Auguſtæ *l. 1. C. de locat. præd. civil. vel fiſcal.* ita ut fiſcus ſit Principis, ærarium populi, quamvis & hoc poſtremis temporibus de ſolo principe uſurpatum eſt: fuitq; duplex: alterum largitionum ſeu rerum privatarum Auguſti Auguſtæve: *d. l. 1.* alterum ſacrarum largitionum ſeu theſaurorum. *Gail. 2. obſ. 20. n. 3.* Promiſcuus illarum vocum uſus eſt *in l. 1. §. 5. ff. ad. l. Corn. de falſ. l. 13. de jur. fiſc. Coraſ. 6. miſcel. 19. n. 6.* De modis fiſco adquirendi deferendi, ejus advocatis, privilegijs &c. latius conſulendi ſunt JCti.

14. An ærarirum inſtructum habere & theſauros colligere & conſervare Reip: expediat? quæſtio eſt, quæ arduè inter Dd. diſceptatur. Affirmantibus ſubſcribimus, quia, quemadmodum totum corpus ad extremam tabem venire neceſſe eſt, alimentis ventriculo denegatis, ita tributis non collectis & theſauro non conſervato, extrema regimini pernities: Et quod corpus ſine nervis, id Reſp: ſine ærario, in hoc enim nervos ejus poſitos eſſe ad paret *ex l. 1. §. 20. ff. de quæſt. Nov. 149.* Et quid multis annon illud non ſolum belli nervus, ſed & unicè facit adſuſtentandam familiam Regis? ad ſalaria magiſtratuum? ad præmia benè meritorum? ad ſuſtentationem pauperum? ad ædificiorum publicorum reſtaurationem? atq; adeò ad regendam, judicandam, defendendam, exornandam & ampliplificandam Remp: *Vide Timpl. l. 4. c. 8. q. 2. Arniſ. 1. pol. 16. Antim. 3. theor. 32.*

15. In

15. In ærario duo conſiderabimus: 1. ejus collectionem & auctionem: 2. juſtam diſpenſationem & conſervationem.

16. collectandi modos tot ac tam varios magis pro utilitate imperantium quam parentium, & ſuperior ætas invenit & noſtra jure malo ſequi ita didicit, ut infinita prædandi vocabula invenerit, quæ omnia referre non ocioſum ſolum ſed & odioſum eſſet: *Thol.3.deRep:6.Bod.6.deRep:2.* Nos duos facimus, ordinarium, qui à vel l. magiſtratu conſtitutus certâ annuamq; pręſtationem requirit. *Heig. 1. q.17.n.15.* & extraordinarium, qui neceſſitate publica poſtulante extra ordinem indicitur. *l. 1. C. de Vacat. publ. mun.* Ad illum referimus tributa & vectigalia: ad hunc collectas.

17. Tributum eſt munus reale præſtitum patrimonij collatione, ita ut ſubditi ex ſuis poſſeſſionibus aliquid in Reip: uſus convertant & conferant, & quidem illius Reip: uſus, in cujus territorio agri poſſidentur. *l.forma §.ſi vero ff.de cenſib.l.fin.C.ſine Cenſu &c. cum ſimibi* vulgo Beeth/ Schoß oder Schatzung appellant *Roſenth. c.5.de Ff.concl.73.n.4.* An tributum exigendum? in utramq; partem diſputat *Timpl.4.pol.8.q.4.*

18. Tributum olim duplex erat, perſonale, quod à perſona exigebatur, dicebaturq; capitatio, quæ abrogata eſt in Imp. Romano à Conſtantino *l.un.C. de capit.civ.cenſ.exim.* Reale, quod manſit, nam tributa ſequuntur poſſeſſionem fundi, & non perſonis ſed rebus indici ſolent, ait *l.3.C. de annon. l.10.* Et quidem ex ijs rebus inprimis exigendum, quæ minus pauperibus poſſunt nocere id eſt non ex ijs, quæ ad victum quotidianum pertinent, ſed quæ ſerviunt voluptati, delicijs ſplendori & magnificentiæ, ut ſunt horti, porticus, xyſti, pocula aurea, argentia, veſtes ſplendidæ, conconvivia, nuptiæ luxurioſæ &c. ejuſmodi alia. *Thol.3.de Rep:6.Alth.c.8.*

19. Exigitur autem à poſſeſſoribus: adeò ut præteriti temporis tributa novus poſſeſſor ſolvere cogatur: *l.Impp:7.ff.de public.l.5. §.fin. de cenſ. l.prædijs 36. de jur.fiſc.* Tenentur autem poſſeſſores pro quantitate patrimonij: *l. 2. C.de immun. nem. conced.* Et meliorato fundo & aucto, augetur quoq; ejus tributum. *l.2. C.de alluv.* Et è contra, ob deteriorationem prædiorum relevanda tributa *l.formâ cenſuali §. illam n. ff. de cenſib.* nec non ob imminutionem & caſus fortuitos. *Geil.1.obſ.21.n.18.Mynſ.30.obſerv.34.* 20. Quan-

Digitized by Google

20. Quantitas tributi exigendi ſit mediocris: Execrandi enim ſunt illi Gryphi, coruis & felibus rapaciores, qui ab radice exſcindunt olera, & rem auferunt cum pulviſculo, nihilq; aliud acerbâ illâ conquiſitione efficiunt, quam quod invidiam ſubditorum in ſe excitent, tumultus etiam nonnunquam & ſeditionem, immò omnimodam ſuorum defectiouem procurent. Meminiſſe igitur debet magiſtratus, quod deceat tondere pecus non deglubere. *Sveton. in Tiber. & ex eo. Geil. 1. de P. P. c. 2. n. 21.* item quod finis omnium præſtationum ſit utilitas Reip: non ut potentiores plebem medullitus exſugant: Quod tamen arcanis adnumerat. *Arnold. Clapm. l. 2. de arcan. Imper. c. 18.* Sed maneat hoc arcanum ſepultum. Monent igitur politici exactores, cuſtodes & diſpenſatores tributorum, qui cenſitores dicuntur *l. 4. §. illum ff. de cenſib.* ut in exactione, Theſei illud æqualitatis filum rectè teneant, quo juſta & uniformis ſit contributio, nec per bonam malamve gratiam quidam ſubleventur, alij præmantur: omnem impoſturam viperino ſanguine cautius evitent, apochas ſolventibus bonâ fide præſtent: *Nov. 28. §. inſuper definivimus*: Et quod eo pacto exactum eſt, ad provinciæ theſauros referant *l. 1. C. de can. largit. l. diu 6. C. de ſuſcept. l. un. C. de aur. publ. perſec.* aut juxta civilis juris præſcriptum duplicatum reſtituant. *l. miſſ. 7. §. quod ſi ad nos C. de exact. tribut.* Hodiè tamen convenientius arbitrariam pro perſonarum & delicti quantitate magiſtratui pœnam eſſe relictam tradit. *Schonb. 4. pol. 22.*

21. Cavebunt ijdem, ne per violentiam rem quandam ſubditis rapiant, alias enim facilè exulcerabunt animos plebejorum, qui, ademptâ re vel minimi pretij, vitam ipſam parvi faciunt. Cogi tamen poſſunt ad tributorum præſtationem. *Nov. 8. §. proinde*, & jure civili pignora capi & diſtrahi jubentur. *l. cum poſſeſſor §. fin. ff. de cenſib. l. 1. & 2. C. de cap. & diſtr. pign.*

22. Collationis tributorum *Keck. 1. Syſtem. 21.* tres facit partes: *1.* eſt profeſſio ſeu indicatio, denunciatio & teſtificatio poſſeſſionũ ſeu patrimonij noſtri. *2.* adæratio ſeu æſtimatio pro rata bonorũ. 3. deſcriptio in regiſtrum ſeu librum cenſualem, qui & Æſtimum vulgo vocatur Salbuch, Italis Cataſtrum. *l. forma. §. ſi cum ego §. ſi cum veniam ff. de cenſib.*

23. Tan-

23. Tantum de tributis hac vice dictum ſufficiat: ſequuntur vectigalia, quæ negociantes à mercibus, vel ab ijs, quæ ſunt circa merces, nempe hominibus, equis, curribus, navibus, propter uſum viæ publicæ præſtant. Et quidem juxta *Godden. conſ. 7. & 8.* in numerata pecunia, non etiam ſpecierum præſtatione.

24. Eſt autem vectigal vel nauticum, & portorium dicitur, vel terreſtre, quod vel mercium venditionis vel circumvectionis nomine exigitur, aut à civibus & incolis, quod intraneum, aut à peregrinis quod extraneum ſeu peregrinum nuncupatur. *Keck. d. l. p. 332. & ſeqq.*

25. Sciendum tamen, quod omnia vectigalia, qualiacunq; ſint, à ſummo Principe ſolo conſtituantur, & ſine ejus, conſenſu nec reformari nec mutari poſſint. *l. 10. in pr. ff. de public. Vectig. & com. l. 2. & 3. C. vectig. nov. inſtit. non poſſ. c. ſuper quibuſdam 26. de public.* R. A. zu Regenſpurgk *anno 1576. in fin.* unde ij qui ſuo ſolo nutu absq; Imp: conſenſu vectigalia nova inſtituunt, l. Juliâ de ambitu & vi publica coërcentur. *l. un. §. qualis ff. ad l. Iul. de ambit. l. ult. ff. ad l. Iul. de vi publ.* Quocirca & mandata pœnalia, etiam ſine clauſula adverſus eos, etiamſi Electores ſint, obtineri poſſe, atq; eâ ratione ab executione rectè inchoari teſtantur *Deciſiones & præjudicia Cameræ in verb. mandata ſine clauſula pag. 191. in verb. vectigal. pag. 150. Gylm. in Symph. ſupplic. t. 2. p. 3. t. 7. ſupplic. 4.* De portorijs, quod nemo poſſit extra Imp: conſenſum ultra ſolita aliquid exigere *textus eſt in d.* R. A. *s.* weiter ſeint wir auch glaubwirdig berichet *verſ.* den Zoll ſteigern gehört zu Keyſerlichen ſondern hoheit vnd *reſervat.* Et contra vectigalia vetera augere conantes ſimilia mandata decerni ex camera teſtatur. *Sixtin. de Regal. l. 2. c. 6. n. 23.* illud addimus: quod ob capitulationem *Car. IV. quæ apud Sleid. lib. 1. extat.* vix absq; Electorum conſenſu hodiè Imp: nova erigat vectigalia.

27. Cauſa conſtituendi vectigalia planè ſit rationabilis & vel ad utilitatem publicā, quod aliter planum & ſecurum iter præſtari nequeat, vel ad ſublevandam tenuitatem patriæ directa, quin & quantitas ut juſta conſtituatur & æqua oportet ne negotiatores abſterreantur ab illa ditione ob iniquam teloniorum impoſitionem. ipſaq; vectigalia non illicita ſint & nugatoria, quale illud,

 quod

Digitized by Google

quod pro aëre & umbra exactum fuiſſe ſcribit *Cuj. 10. obſ. 7.* nec locis nimis vicina. *Schonb. 4. pol. 25.*

27. Vectigalia porro impoſita neceſſario ſunt ſolvenda, alias ipſæ res incidunt in commiſſum, German: Contrabant i.e. fiſco earum dominium acquiritur & committitur: unde & res commiſſæ dicuntur, *l. 4. l. fin. §. ſi quis de public.* Exceptæ tamen pauciſſimę perſonæ hinc inde in jure leguntur, quibus ne res in commiſſum cadant, ſuccurritur. Et quidem quilibet magiſtratus rem commiſſam jure tanquam ſuam propriâ autoritate occupat. *l. cum proponas verb fiſcum C. de naut. fœn.* non attentâ ignorantiâ, à non ſolvente prætensâ *l. 16. §. licet ff. de public.* ad amittendam tamen poſſeſſionem ſententia declaratoria neceſſaria eſt. *Geil. 2. de P. P. c. 3. n. 11.* illa commiſſi pœna mutata eſt jure Saxon: in quadruplum vectigal. Landrecht *art. 27.*

28. Tantum de modo ordinario: ſequitur extraordinarius, qui ordinarijs reditibus non ſufficientibus ad expedienda Reip: negotia, & neceſſitate ingruente indicitur: eoq; *ſupr. th. 16.* referri diximus collectas quæ perſonis pro rebus imponuntur, *Bald. in l. un. n. 33. C. de ſentent. quæ pro eo, quod int.* Harum mehercule materia, uti in imperio noſtro Romano germanico frequentiſſima, ita difficilima & diffuſiſſima: Nos inſtituti noſtri memores, accuratam earum tractationem alij tempori reſervantes, in præſentia floſculos aliquot decerpemus. Ac proinde primo omnium in collectas imperiales & provinciales diſpeſcimus.

29. Imperiales ſunt generales & ad omnes Imperio Romano ſubjectos ſpectant. Reichsſtewer oder des H. Reichs Anlag. Et fere videntur ſucceſſiſſe in locum antiquarum indictionum, *l. 1. C. de indict. Geil. 2. obſ. 53. n. 8.* quamvis indictiones ordinarijs muneribus accenſebantur. Eas autem Imperator ſolus vi ſupremæ juriſdictionis in ſignum Imperij & dominij exigit. *Geil. d. obſ.* Idem dicimus de omnibus alijs ſuperiorem non recognoſcentibus. Qamvis & Imp: noſtri & aliorum omnium Regum ac Principum adeò limitata hodie ſit poteſtas. *uti ſupra diſſ. 5. th. 19.* monuimus, & ſatis Galliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, regna demonſtrant. *Heig. 11. q. 18. n. 8.* ut vix novam indictionem ſine

ſtatuum

ſtatuum conſenſu imponere poſſint. Hinc clauſula in Imperij receſſibus frequens, darüber wir vns mit jhnen/ vnd ſie hinwiederumb mit vns verglichen. Et inde eſſe ſcribunt. *Antim.in pr.th.1.Heig. d.q.n.3.* quod blandis vocabulis ſubſidij, ſubventionis, auxilij, adjutorij, Adoæ, Relevij, Germ: ſteuren, non durioribus illis vectigalium, tributorum impoſitionum &c. impetrentur. Et tantum abeſt, ut ſtatus ob eam cauſam conventi quicquam Regibus denegent, ut longè plus ſæpè illis commodent aut conferant, quam vel petere vel ſperare auſi ſint. Et huc pertinet, quod *Tacit.16.Annal.* ait, ſvaſio ab eo, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis adfert: Et rogando cogit, qui rogat potentior: *juxta Publ. Mimum Lipſ.4.p.11.*

30. Cauſam impoſitionis extraordinariæ conſtituimus ſolam neceſſitatem & utilitatem publicam, extra quam ne ſummo Principi conceſſam credimus, quicquid etiam ob ejus ſummam poteſtatem & 1.*Sam.8.* nonnulli magis Placentiam, quam Veronam iter dirigentes contra adferant: illam enim limitatam ſatis arguit exemplum Nabothi *1.Reg.21. & d.cap.8.* non de vero Regis jure loqui jam ſupra *d.9 th.34.* defendimus. Ad eandem neceſſitatem referunt caſum, ubi calculus ordinariorum redituum Magiſtratui non ſufficit: *De quo vide Men.de A.I. Q.c.178.n.13.&14.* Speciales in Imperio noſtro collectandi cauſas audies: 1. neceſſitatem reſiſtendi Chriſtiani nominis hoſti: 2. reformationem judicij Cameralis, quæ duæ ferè omnibus ventilantur comitijs: & 3. expeditionem Romanam, quæ rarior eſt: Et dicitur in conſtitutionibus Römerzug/ ſo der Käyſ: May: zur holung jhrer Cron in Italia bewilliget/ vnnd ein hülff iſt/ von 4000. zu Roß vnnd 20000. zu Fueß R.A. zu Wormbs anno 1521.§. vnnd als wir.

31. Unde facilè adparet, quid de varijs illis extraordinarijs caſibus, qui paſſim apud Interpp. inveniuntur ſentiendum: ut ſunt 1. nova militia: ob quam *VVeſenb. conſil. 45. n.20.Mindan.de mandat. lib.2, c.45.n.10.* collectas concedunt: ſed *Zaſ.de Ff.p.7.n.51.* negat, & quidem nobis uti videtur veriùs. Cum enim hæc ſolam privatam Domini utilitatem reſpiciat, ſubditos ſuper exactione premi, à jure abhorret. 2. redemptio Domini à captivitate: factâ ſcil: ob maleficium, aut æs alienum, aut aliâ ejus culpâ: Si enim citra

 ſuam

ſuam culpam, pugnando fortè pro patria, in manus hoſtium cadens captus ſit, tum enim & ipſa pietas & publica neceſſitas collectam jure urgebit *arg. c. cum Apoſtolus: c. prohibemus. de cenſib.* 3. Transfretatio ultramarina: *de qua VVeſenb. & Frid. dd. ll.* 4. Adquiſitio novi territorij: *de qua Menoch. Caſ. 178. n. 8.* ubi ſvaſum publicæ utilitatis excipit: ut & 5. Extructio fortalitij, inauguratio, acquiſitio dignitatis equeſtris, ſimilesq;: *vide Aut: differ. jur. civ. & Sax. l. 2. p. 3. diff. 23.* Quod nempe in talibus incidentibus ſubditi de jure non obligentur, niſi eos urgeat aut pactum ſingulare, aut conſvetudo inveterata, quæ tamen, quia facti eſt, præcisè probanda eſt: *c. 1. conſtit. Maſcard. de probat. concl. 423. & ſeqq. Geil. 1. obſ. 36. n. 16.*

32. Hoc loco inquirere placet, an neceſſitate ſummâ urgente exſpectanda ſit collectarum conquiſitio, an vero Princeps poſſit per manus injectionem divites compellere ad mutuandam pecuniæ ſummam? *Vaſq: l. 1. illuſt. controv. c. 6. n. 7. & 8.* poſterius affirmat, ita tamen, ut ſi poſtea Princeps idoneos reditus ex regno habeat, reddat integram pecuniam mutuatam cum moderato intereſſe & uſuris, quas in tali coacto mutuo licitas etiam docent. *Geil. 2. obſ. 5. n. 17. Heig: 2. q. 1. n. 140.* Quod ſi idoneos reditus non habeat, reddat integram mutuatam pecuniam, ac rurſus intereſſe moderatum ex univerſorum civium collatione, detractâ eâ particulâ, quæ ad civem mutuantem, ratione bonorum habitâ, tanquam unum de populo ſpectat. *Et ſic ſæpius uſurpatum fuiſſe in Hiſpanarum Regnis ibidem teſtatur. cui adde Bobadillam lib. 5. pol. 5. per tot.*

33. Exiguntur autem collectæ hæ Imperiales ab omnibus, ita ut ab ijs nemo cujuſcunq; etiam ſtatus ſit eximatur; atq; adeo nec privilegiatus & inveſtitus ſub clauſula, frey/ geruhiglich/ ohne ſteur: uti ubivis in comitijs ſancitũ invenies: *vide R. A. de anno 1495. in pr. an. 1500. ubivis an: an. 1542.* §. vnnd nemblich ſollen/ & §. es ſollen auch alle Churfürſten an. 1544. §. vnd nemblich ſollen alle anno 1576. §. vnd nach dem dieſe/ an. 1582. §. vnd demnach ſollen die Vnterthanen/ an. 1594. §. demnach ſollen: an. 1598. §. dieweil dan/ an. 603. §. vnd nach dem & ſeq. A provincialibus tamen plurimi exempti ſunt, de quibus conſulendi ſunt alij. *VVinzler. de collect. & contrib: Imper. Modeſt. Piſtor. conſ. 4. in pr. n. 5. & ſeqq: vol. 1. & ſimiles.*

34. Pro-

Digitized by Google

34. Provinciales ſunt, quas ſtatus imperij vi juris ſuperioritatis & Regalium ab Imperatore & Imperio conceſſi, in ſubſidium ſuis ſubditis indicunt: *rationem vide in* R. A. de anno 1512. §. nach dem Churfürſten.

35. Ad eas referunt, quod Principes comites & Barones in elocandis & maritandis ſuis filiabus, ex collecta publica dotem parare adſolent. Quod an rectè fiat? Dd. diſceptationi relictum eſt. Negat: tuetur. *Vaſq. ill. q.7. per. l.3. ibi, impenſis proprijs. C. de ſtat. & imag. l. cum ſatis §. caveant. C. ne ruſticani. l. ab omnibus 104. de leg. 1. l. jubemus C. de ſſ. eccl. Mult. inter conſil. Marpurg. conſ. 35. vol. 35. Heig. d. q. 18. n. 16. & doctiſſimè Ioh. Koepen. illuſtr. quæſt. deciſ. 31. per tot.* Quibus calculum noſtrum addimus, licet in omnibus ferè Germaniæ provincijs uſu notario contrarium decidatur. *Mynſ. 5. obſ. 21. Huſan. de hom. prop. c. 6. q. 45. n. 5. Ewerh. à VVeihe, tract. de regn. ſubſid. c. 4. n. 13* ubi addit *non tantum in elocanda Principis, ſed & nobilis filia, hoc jure multas Germaniæ provincias uti.* Dicimus *ferè,* quia illam conſvetudinem generalem non eſſe, nec ad juris neceſſitatem trahendam, ſed multorum Ducum ſubditos præcario tantum conferre, ejusq; rei Principes illis teſtimonium ſub ſigillo præbere oportere, teſtis eſt. *Roſenth. c. 5. concl. 77. ſub lit. 6.*

36. Tantum de auctione ærarij publici: recta conſervatio ejuſdem conſiſtit partim in cavenda & vitanda injuſta alienatione bonorum publicorum: partim in prudenti & rectâ eorundem diſpenſatione. Quo pertinet quod expreſsè pragmaticâ Imperij ſanctione de anno 1594. cautum ſit, ne contributiones in aliũ uſum, quam in quem principaliter diſtinatæ ſunt, vertantur: verb. Gleich wie obgeſetzte hülff &c.

37. Verumenimvero de hac materia diffuſiſſima conſulendi ſunt alij, integros de ea tractatus qui edidere. Nos in præſentia, quia, ut ſupra *theſ. 29.* monuimus, ſatis conciſa Imp poteſtas, adeo, ut quoties vel de collectis indicendis vel alijs graviſſimis ad publicam imperij tutelam ſpectantibus cauſis deliberandum, Comitia indici & celebrari neceſſe ſit: de illis aliquid adjiciemus. ſunt autem duplicia, univerſalia & particularia.

38. Univerſalia ſunt Cæſaris & ſtatuum Imperij convocatio & conventus, ſuſcepti cauſa Reip: Convocantur autem Status

 per

per Imp: (ſed nonniſi accedente Electorũ conſenſu, uti formula cõvocationis der außſchreibung des Reichstags teſtatur) ad certam nominatam & commodam imperij civitatem convocati adparent vel per ſe vel per legatos (qui advenientes ſua nomina ſtatim apud Electorem Morguntinum Imperij Archicancellarium profitentur & literas credentiales exhibent) & conſultationi publicæ interſunt. Modum autem & formam exquiſitiſſimamq; in proceſſu & ſeſſione pompam latius inquire *apud Paurm. lib. de juriſd. c. 2. n. 31.* ubi & effectum eorum celebratorum recenſet hunc, quod pacta conventa inter Cæſarem & ſtatus legis vigorem habeant, & tam Cæſar quam proceres Imperij obligent ſe ad decreti comitialis obſervantiam, quod ſcripto comprehenditur & publicatur.

39. Particularia ſunt conventus, 1. Regimenti à Maxim. I. in comitijs Auguſtanis anno 1500. inſtituti, & ſub Car. V. aboliti: Et in eo erant 20. perſonæ loco ſenatus Imperij, penes quos ſumma poteſtas. 2. Electorum, vel ad Electionem Romani Regis, vel alias ob cauſas inſtituti. *vide Lippol. de Babenberg. de jure Imp: Rom. c. 6.* 3. deputatorum Auguſtæ primo anno 1555. inſtitutus, poſtea anno 1559. reformatus vel potius confirmatus, quo certi ſtatus ordinati ſunt ad motus imperij, qui à ſingularibus circulis compeſci nequeunt, ſedandos. 4. circulorum die Kreißtage *de quibus aliquid ſupra diſp. 7. th. fin.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

ex tit. 6. & ſeqq. ad 13. lib. 4. Inſtit. Impp.

1. *Juſtinianeam actionis diviſionem reales etiam complecti dicimus.*

2. *Libellum poſt litem conteſtatam ad ſententiam usq; definitivam mutare & emendare licere credimus.*

3. *Actionem civilem & criminalem aliquando cumulari poſſe ducimus.*

4. *Actiones præjudiciales in rem eſſe ſtatuimus.*

5. Actio-

Digitized by Google

5. *Actiones finium regundorum, familiæ berciſcundæ & communi dividundo revera mixtas eſſe & appellari e. c. defendimus.*

6. *Finium regundorum actionem ſtricti juris eſſe opinamur.*

7. *Præter actiones b. f. in §. actionum enumeratas nullas eſſe alias arbitramur.*

8. *Bonæfidei & ſtricti juris diſcrimen jure canonico ſublatum eſſe negamus.*

9. *Publicianam etiam adverſus poſſidentem proberede competere ponimus.*

10. *Si duobus res eadem venditur uniq; traditur, eum prius ementi præferimus.*

11. *Debitori qui ſe ſoluturum juravit, compenſationis objectionem concedimus, & à perjurio liberamus.*

12. *Compenſationem ipſo jure absq; hominis facto fieri remur.*

13. *Pactum inter advocatum & clientem de quota litis non valere adſeveramus.*

14. *Manifeſte idoneum ſatisdare teneri credere non poſſumus.*

Digitized by Google

DISPUTATIO XVI. ET ULTIMA.

DE CAUSIS MUTATIONUM RERUMP: EARUNDEMQUE REMEDIIS; ET POLITICA SPECIALI.

ET

Præcipuis quæſtionibus ex tit. 13. & ſeqq. ad finem lib. 4. Inſtit. Imper.

Reſpondente eodem FRIDERICO Mündrich.

Neobrand. Megap.

THESIS I.

ABſolvimus per DEI gratiam hucuſq; cauſas & media, quibus Reſp: conſtituitur & regitur: ſupereſt ut paucis de earum corruptionibus, contrarijsq; remedijs videamus.

2. Fieri autem Rerump: florentiſsimarum & potentiſsimarum everſionem, rerum experientia quavis ætate docuit. Unde *Bod.4.de Rep.2. Richt.axiom.pol.1.2. & ſeqq.* putarunt, ſingulis Imperijs certa temporum intervalla, & periodos divinitus conſtitutas: inter quas annus 500. & 700. (aut ſecundum alios 225. aut 900 aut ſimilis) maximè ſoleat eſſe fatalis & climactericus: cauſam reddit ſecundam & inferiorem *Keck.1.ſyſt.27.* quod intra hoc temporis ſpatium decurrat ſexta circiter hominum generatio, quâ & ipſa hominum corpora fiant languidiora & magis ac magis deflectant ab antiquorum hominū ſimplicitate, robore & fortitudine qui ejuſmodi virtutibus imperia initio adquiſiverunt: *Quibus adde Peucer. lib. de divinat. Rantzov. in cat.ſlog.Impp:* Verum cum illi fatum Scoticum multis jam ante ſeculis è Rep: Chriſtiana exploſum quodammodo revocare videantur, eſt cur ijs aſſentiri nequeamus. Nam nec ratione certâ nituntur, nec calculus eorum aſſertioni reſpondet. Deum quidem certos naſcendi pereundiq; limites ſignare non negamus *Dan.2. p.24. pſal.44. 5. & 104.9. actor.17.26.* Sed vel 100. annorum vel alterius temporis

curri

curriculo eas concludere non audemus: Maximè cum nec ipſe Chriſtus voluerit diſcipulos ſuos fatalem urbis Hieroſolymitanæ limitem cognitum habere. *Mat.24.* nec in corporibus humanis præfiniri queat certus terminus, cum alij vix ut nati ſunt, ſtatim rurſus vitâ excedant. alij in ipſo juvenili ætatis flore à viventium conſortio abripiantur, alij in ſummo virilis conſtantiæ robore corruant, alij deniq; in longam usq; ſenectam ſuperſtites, annum ætatis ſuæ (ut ita dicam) terminalem longè prætergrediantur. Quid igitur de Rebuſp: dicemus, quæ perpetuâ poſterorum ſucceſſione immortales & æternæ quodammodo videntur?

3. Eadem incertitudine, quâ priores, alij ſunt, qui ex aſtrorum motu, ſyderumve converſione, vel Planetarum inter ſe aſpectu & conjunctione, vel cometarum generatione, alijsq; ſimilibus ruinam Rerump: metiantur. Nam forma Reip: eſt ordo civitatis inter magiſtratum & ſubditos, quem cum ſydera non conſtituerint, nec ab ijſdem gubernari, certiſve finibus circumſcribi veriſimile videtur. Totus enim à mente & voluntate humana dependet, cui cœlum nullam periodum aut neceſſitatem imponit, ſed quæ ſuâ gaudet libertate, quâ homo ad mentem cœleſtem ac divinam quam proximè accedit. Et quid multis, qui ex aſtris Rerump: funera augerantur, quid quæſo aliud agunt, quam ut Deum fatali quâdam neceſſitate conſtringant, eumq; primum autorem malorum & ſcelerum ſtatuant? quippe cum omnis ſtellarum virtus à Deo profiſciſcatur. Dei igitur oraculo potius quam humanæ ſuperſtitioni fidem adhibeamus, qui vanas haſce gentium vias ſui timentes jubet declinare: *Ierem. 10. Ieſaiæ. 47.* Nec tamen hac mente omnem Aſtronomiam, ut olim Itali, *de quibus Tacit.* averſamur, nec corporum cœleſtium in ſublunaria efficaciam negamus. *vide Bod. 4. de Rep. 2. Arniſ. 2. pol. 2. p. 448.*

4. Conſtituimus autem *cum Dan. 3. pol. Chriſt. 5. Ke. k. d. loc. Caſin. c. 60. vit. pol.* cauſas everſionum duplices: divinam ſeu remotam, & humanam ſeu propinquam: illa iterum eſt vel principalis vel impulſiva.

5. Principalis eſt Deus, ut Rerump: fundator benignus, ita

 everſor

Digitized by Google

everſor juſtus: cujus juſtiſſimæ Dei voluntatis cauſa quidem incognita nobis eſſe poteſt, non tamen injuſta, ejus enim ſolius majeſtatis eſſe dare & adimere regna *th.2.* diximus Tradunt a. quidam politici, quod Deus ſingulis Rebuſp: certum aliquem angelum, veluti præſidem qui vel conſervet vel deſtruat, præſtituerit: non, uti nobis videtur, abſurde, quia & alias Deus maxima quæq; in hoc mundo & genere humano per eos efficit: *vide Epheſ. 3. Dan. 10. & 11. Exod. 13. 14. & 33. Ioſ. 5. Iud. 6. 2. Reg. 19. 1. Sam. ult. Keck. d. loc. pag. 407. Caſm. in Angelographia p. 2. c. 7.*

6. Impulſiva dicitur violatio Decalogi tabulæ cum primæ, quo pertinet vitæ religionis & cultus divini pertinax contemptus, perverſio & idololatria, *1. Reg 12. 2. Reg. 17. & 25. Ezech. 23. Hoſ. 10.* aliaq; inde emanantia vitia plurima directò in Deum converſa, ut blaſphemia: *2. Reg. 18. & 19. paral. 32. Eſaia. 36. Dan. 4. Ezech. 28.* perjuria &c. *2. Reg. ult. Peuc. 5. Chron. p. 119. Dan. d. loc. Greg. Richt. axiom. pol. 15.* Huc referimus ſubditorum ad religionem coactionem, de qua vitanda *ſuprà diſp. 11.* item calumnias paſtorum nonnullorum, vel potius malitiam & improbitatem ruditate intolerabili conjunctam, qui ad maledicendum naturâ & arte facti, homines publico reperti exitio & nunquam ſatis coërciti, de ſuggeſtis publicis declamantes, maximoperè aliorum famæ detrahunt, nec docent, ſed nocent, omneſq; ad orcum ſuo arbitratu detrudunt. *Schonb. 7. pol. 6.* tum ſecundæ, quo referuntur variorum ſcelerum in proximum publicè & clam graſſantium immanitas & impunitas. *Iud. 20. Pſalm. 44. Dan. d. loc.*

7. Circa hanc cauſam optimum remedium Reip: conſervandæ fuerit, ſi actâ pœnitentiâ publicâ Deus ſeriò imploretur, ut iram ſuam clementer avertat, & in hoſtes nominis ſui convertat; poſteaq; ritè colatur & honoretur. *Monſ. de la Nove c. 1. diſc. polit.*

8. Cauſæ humanæ, *juxta eoſdem dd. autores, Dan. Caſm. quibus adde Arniſ. 2. pol. 3.* ſunt vel internæ, vel externæ.

9. Internæ ſunt, quæ hærent in ipſius Reip: partibus: & quidem vel alterutra, id eſt; vel magiſtratu, vel ſubditis tantum, vel utraq; ſimul.

10. In magiſtratu cauſæ potiſſimum ſunt: 1. injuſtitia, quam ſummè

Digitized by Google

ſummè averſatur Dominus. *Deut. 25. Pſalm. 97. Siracid. 10.* Et ob-quam florentiſſima tribus Benjamin extirpata. *Jud. 19.* Lacedæmoniorum Reſp: labefactata & concuſſa, Corinthus amœniſſima urbs everſa. *Flor. 2. c. 16.*

11. 2. Magiſtratuum diſcordia, ad quam naturaliter proni ſunt homines audaculi *dequibus, Eſaias. cap. 5. 21.* loquitur, qui ſe cæteris plus poſſe confidunt: quos, ſi paulatim afflavit Cæſia illa Diva, miſerè furialis abripit Erinnys ad ſerenda diſcordiarum ſemina, nihil tam conſideratè ab alijs dici fierive poteſt, quod non iſti in calumniam rapiant. Alter meritos alteri invidet honores, ſuam obfuſcari laudem exiſtimans, niſi creſcentem gloriam alienam oppugnatum eat, unde neceſſe eſt negligi ſalutem Reip: permiſceriq; fretum cœlo,&c, quod conſequens, eam civitatem à Deo deſeri,&mergi in imum calamitatum barathrum. *uti Schonb. 7. pol. 3. tradit.*

12. 3. Eandem vim habet ambitio & cupiditas imperij, cum enim Principes ſuis non ſunt contenti limitibus, pluribusq; inhiant provincijs, perdunt & ea quæ jam ante in tuto locaverunt: exemplo civitatum Græciæ, quæ dum Imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt. *Iuſtin. lib. 8. pr.* Harum cauſarum remedia contraria per ſe patent.

13. 4. Autoritatis amiſſio ſeu contemptus, qui *teſte Richt. axiom. pol. 6.* plerunq; oriri ſolet, aut ex imprudentia, quando nec magiſtratus intelligit officia gubernationis (quo pertinet *illud Eſa. 3.* Dabo Principes pueros, hoc eſt ſtultos inſipientes) nec rectè monentibus obtemperat, ſed ſuo malo & propriâ pernicie mordicus inſiſtit ſemel conceptis ſententijs & opinionibus, præfertq; hominum furioſorum conſilia rectis & moderatis. *vide eleganter apud Commin. lib. 1. p. 339. lib. 2. p. 358. l. 3. p. 388. lib. 7. p. 567. lib. 9. p. 629.* vel malitiâ, cum datâ q. operâ poſthabito virtutis ſtudio, in omne vitium ruit: *Richt. d. loc.* vel infelicitate contrariaq; fortuna, quæ ſæpè oritur, quando aut res non neceſſariæ, aut viribus majores ſuſcipiuntur. *Commin. lib. 4. p. 436.* vel, quæ hujus conſequens, mutatione benevolentiæ inanimis ſubditorum. *Horn. d. pol. 8. th. 15. cum 4. ſeqq.* Hujus remedium eſt vindicatio à contemptu, & autoritatis

ritatis adquiſitio, quæ q. firmatur & ſtabilitur à Magiſtratu, ſi ſuum officium ritè curet, ſalutis publicæ unicam & ſeriam (non ſpuriam & in externa ſpecie conſiſtentem, *ut ſvadet Math. & poſt eum Arniſ. 2. pol. 5.*) gerat *Antim. lib. 2. theor. 1.* vijsq; & remediis, quibus autoritas conſervetur, legitimis utatur. *de quibus vide Lipſ. 4. civ. doctr. 9.*

14. 5. Legum mutatio, non tamen omnis ſed frivola, temeraria & ſubitanea: *uti ſupra diſp. 9. th. fin. monuimus.*

15. 6. Crudelitas Magiſtratuum publica, & quæ hanc ſequuntur vitia, ſceleraq; graviſſima, tyrannis, regnandi inſana libido, avara ſubditorum expilatio, inſolens iracundia vindictæ cupida, violentia, fraudes & injuriæ variæ: de quibus videndi *Rhbt. axiom. pol. 14. 16. 99. Keck. 1. Syſt. 26. Commin. lib. 10. comment. p. 991.* Hujus remedium conſiſtit in reſiſtentia: *de qua ſupra diſp. 7.*

16. Hoc loco commodè occurrit ille politicorum conflictus: utrum tutius ad ſeveritatem, an ad contemptum declinare? vitium quidem utrumq; eſt, & ſi ullum alium, certè vel principem clementia decet: *vide Sen. 1. de clem.* Veruntamen qui ſartam tectamq; ſuam ſervare velit Remp: id omnino caveat, ne contemptum incurrat. Et ſi fieri non poteſt, quin in alterutram peccet partem, tutius eum exiſtimamus ad ſeveritatem majorem quam ad contemptum declinare: præſtat enim aliquam, quam nullam habere Remp. Annon enim patrem f. execraris, cujus imperium uxor & familia detrectat? annon eum præceptorem abominaris, qui ſuis ſe diſcipulis deridendum propinat? quin igitur & illum principem averſaris, qui apud ſuos non inhorroreſ ſed in contemptu eſt. Nam quid hujuſmodi Princeps differt à Leone illo, *de quo in fabulis Æſopi eſt*, quem ſenio confectum, non modo reliquæ animantes ludibrio habuerunt, verum etiam aſellus, inertiſſima beſtia, calce ferire veritus non fuit. Id quod magno ſuo damno *Iacobus VI.* Rex Britanniæ ſe expertum eſſe profitetur, dum ad filium ſuum ſcribit: Phryx tibi ſum, qui & nimis ſero & nimis magno pretio ſapere videar: Nam cum lenioribus principijs omnia pertexere in animo haberem, ut facilitate & clementia omnium animos ad obedientiam pellicerem, contrarium mihi

Digitized by Google

mihi prorſus uſu venit, & nullum aliud, quam populum ingratum, imperium diſſolutum, lenitatis meæ præmium reportavi. *vide Bodin. 2. de Rep:. 4.*

17. 7. Intempeſtiva magiſtratus abdicatio, turbatâ nempe Rep: & domeſticis internisq; conquaſſatâ motibus, aut alia neceſſitate preſsâ quæ fit, & maxima incommoda, quin & ipſam ſæpè ἀναρχίαν, in qua multorum capitum bellua ſuo nutu pleraq; agere incipit, ſecum trahit: utcunq; aliâs, vel ob ætatem vel valetudinem magiſtratu ſe quis abdicare poſſit. *c.1.de renunc.in.6*

18. In ſubditis ſeu civibus cauſa everſionis generalis eſt diſcordia, quæ duas habet pedisſequas & filias; factionem & ſeditionem. Utraq; juramento vel pacto confirmata vocatur conjuratio vel conſpiratio.

19. An igitur diſcordia prorſus Reip: inſalutaris & perniciosa? Duplex eſt diſcordia, una quæ in ſola ſententiarum diverſitate conſiſtit, eaq; moderata eſt, altera immoderata, quæ animorum diſconvenientiam habet, atq; vi nonnunquam conjuncta eſt: illam utilem ac ſalutarem Reip: hanc pernicioſam ac exitialem eſſe putamus: illa enim juxta Logicorum maximam: contraria juxta ſepoſita clarius eluceſcunt, veritatem inveſtigat, eligit, & quod Reip: utile & commodum eſt arripit, dummodo non ſit pertinax nec diuturna: ne dum alij ſanioribus conſilijs ſuffragari detrectant, alij v. ſi obtemperatum ipſis non ſit, contumeliam ſibi fieri exiſtimant, odium inde mutuum atq; rancorem animi ipſorum contrahant. Poſteriores diſcordias & diſſenſiones prudens nemo Reip; conducere ſtatuet, ſunt enim *teſte Liv. lib. 4.* potentibus populis magis exitio quam bella externa, quam fames morbive: Et firmiſſimum eſt & manebit, nihil magis ſalutare eſſe, quam unio, nihil magis pernicioſum quam diviſio. Quicquid etiam, quod ſeditiones non modo utiles ſed & neceſſariæ Reip: ſint, *Machiv. lib. 1. diſc. c. 4.* ganniat. *vide Antim. thor. 30. & 31. Richit. axiom. pol 9. Alth. c. 26.*

20. Factio eſt paucorum aut plurium inter ſe coitio; & cum reliquis civibus diſſenſio: *Lipſ. 6. pol. 3.* Et oriri ſolet ex privatis vel publicis familiarum diverſarum odijs vel ambitione: *Thol. 23. de Reg. 3.*

Digitized by Google

de Rep. 3. Et ei obviandum: 1. ut ll. interdicantur. *Ariſt. 5. pol. 8.* 2. ejus ſemina, odium ſcil. & ambitio prorſus exſcindantur. 3. nomina nova aut aliud quid, ex quo oriri diſſidia poſſint non permittantur. 4. ſecreti conventus & conſultationes ſub gravi pœna prohibeantur. 5. ἀμνηστία à magiſtratu ſanciatur, nec magis uni quam alteri parti faveatur. *2. Sam. 19. v. 42. & ſeqq. Antim. 3. theor. 2. Alth. c.26.*

21. Sed utræ magis periculoſæ ſint, vulgi, an nobilium factiones? Nobilium ducimus & magnorum ac præclarorum virorum 1. quia illi opes ac potentiam, quæ ſeditionum nervi ſunt, conferre poſſunt: 2. illi ſunt columnæ civitatis, quibus convulſis totum ædificium corruat neceſſe eſt: ſunt capita urbis, quibus male ſanis, vix eſt, quod reliqua membra ſe bene habere queant. 3. quia rariſſimò inter ſe conflictantur, quin imprudentem plebeculam ad ſuas factiones pertrahant: Sicut enim oves ſuos paſtores, ita multitudo nobiles ac duces ſuos ſequitur. Accedit 4. quod eorumvis ſit magis unita, quare & fortior,, contra vulgi diſperſa ac proinde debilis: Quo enim pluribus illa belua ſuccreſcit capitibus, eò citius mutuâ ſui diſcordiâ diſſolvitur.

22. Seditio eſt ſubitus ac violentus ſubditorum motus contra Magiſtratum: *Lypſ. 6 pol. 4.* Ejus cauſæ poſſunt eſſe variæ: in magiſtratu ſunt omnes ante dictæ: inſubditis, 1. Decoctio & inopia, quæ in eam valde prona: nam egentes odio rerum ſuarum mature omnia ſtudent: *1. Sam. 30. Exod. 16. 17.* Atq; imitantur piſcatores, qui non niſi ſtagno turbato capiunt anguillas: *Bod. 5. de Rep. 2.* 2. metus pœnæ, quando ſcil. mali illatâ injuriâ & perpetratis maleficijs movendo ſeditionem pœnæ prævenire volunt, priusquam eis inferatur. *Thol. 23. de Rep. 5.* 3. diſſimilitudo hominum in Rep: *Thol. d. loc. c. 6. Arniſ. 2. pol. 4. p. 495.* 4. ambitio & ventoſus faſtus *Schonb. 6. pol. 13.*

23. Remedia *Thol. d. l. c. 9.* dividit in tria generalia & ſpecialia.

24. Generalia ſunt: 1. ut magiſtratus diligenter præcaveat, ne ſeditiones fiant: Quare neceſſe eſt, ut ſuorum ſubditorum neceſſitates ſciat: 2. Si forte orta, ut in principio ſtatim opportunè

Digitized by Google

tunè emendetur per disjunctionem ac divulſionem ſeditioſorum: ubi conſultiſſimum erit, ut autoritate pollentes & facundiâ excellentes mittantur viri, qui ſeditioſos moneant, illorum animos omnibus modis leniant & mitigent autores ſeditioſorum, occultis præmijs ad obedientiam alliciant: *Iud. 8. V. 1. 2. 3. & ſeq. Keck. 1. Syſtem. 28.* Ut autem innoteſcat ante vires ſumptas ſeditio, conducet exploratores haberi, qui incogniti hominum cœtibus ſe immiſceant, & collecta, dicta, facta aut intellecta referant. *2. Sam. 16. 17. de quibus ſuprà diſp. 8. th. fin.* 3. ut de ſeditioſis pœnam ſumat, quæ pro varietate circumſtantiarum, qualitate & ſpecie ſeditionis modo exacerbanda, modo temperanda: aliquando multis aliquando paucis infligenda: præcipuè tamen puniendi ſunt autores. ubi inprimis obſervandum quod in complices ſeditionum non nimis anxiè ſit inquirendum, & in culpam deprecantes ſupplicio non animadvertendum. *vide Thol. d.l. & Arniſ. p. 509. ubi Machiav. omnes ſeditioſos ſtatim è medio tollendos eſſe lib. 3. diſc. 27. diſputantem refutat.*

25. Speciale eſt bellum civile, quo certandum eſt; quando coaluit & jam fortis eſt facta ſeditio, imperiumq; detrectatur, ſed tamen ita, ut pœnitentiæ locus ſit, & ſpes ac metus intendatur, *Alth. c. 26.*

26. Graviter vero à Dd. in utramq; partem diſſeritur, an vir ſeu civis bonus privatus civilibus bellis ſe intermiſcere debeat? Solon, *ut teſtatur Plutarch. in Solon.* lege eum intereſſe cogit ſub pœna exilij, omniumq; fortunarum privatione: cui *Cic. lib. 8. ad Attic. & 2. epiſtol.* contradicit. Nos diſtinguendum eſſe cenſemus: aut enim factio illa inter cives mota, non in perniciem Reip. comparata eſt, ſed privatas tantum injurias perſequitur: aut in everſionem Reip: vergit. illas turbas vir bonus miſſas planè faciat, cum nihil cauſæ habeat, ijs cur ſe ingerat, hicq; ſit nihil tutius, nihil honeſtius, quam ab omni contentione longè remotum eſſe: Poſteriori caſu minimè dubitet, quin omnes ei vires conferendæ, omnes nervi intendendi ſint, ut conſpirationis autoribus oppreſſis, & omni factione ſummotâ ſalus & tranquillitas Reip: conſervetur. *vide Lipſ. 6. pol. 6. Bod. 4. de Rep. 7. Arniſ. 2. pol. 5. p. 518.*

27. Huc

27. Huc etiam referri poteſt defectio & exemptio, quæ certe in imperio noſtro Romano antehac tanta fuit, ut non modo urbes, ut Venetæ, Florentiæ, Genua, Lucana, Aſtenſis &c. ſed & Regna, ut Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Dania, Sabaudia, Mediolanum, Burgundia, libertatẽ ſibi arrogarint: inter hæc quædã exemptionis titulum nullum habent, tantumq; dicunt, noluiſſe ſe munera, functiones, penſitationes, collectas, & comitia Imperij agnoſcere: Sed qua fide ipſa videant. Quædam allegant titulum, vel privilegij, vel oppignerationis vel præſcriptionis. Qua vero firmitate? ſi res ad juris trutinam referatur facile adparebit: Conventio & privilegium locum non habebunt, ex eo quod incolæ tanquam homines liberi alienari non poſſint: *l. 103. de V. O. l. 34. §. 1. de contr. empt.* & Princeps ſubditorum potiſſimum cauſa conſtitutus, jus Reip: pactionibus mutare nequeat. *l. 2. §. jus Reip. ff. de adm. rer. ad civit. pertin.* Quin & enormis imperij diminutio merito reprobatur: *arg. l quoties 2. ibi, ſi ne gravi partis. l. 7. C de precib. Imp. offer. l. 12. §. 2. & 3. l. ſeq. §. fin. de admin. & peric. tut. c. in intellecto de jur. jur. c. paſtralis X. de donat* Oppignoratio etiam non auditur, quia alienationis eſt ſpecies: *l. 72. de R. I.* Omnis autem alienandi poteſtas adminiſtratori eſt inhibita *l. 28. de pact.* Et Princeps velut tutor eſt, qui tum demum habetur pro Domino, cum ſalutem & incolumitatem populi tuetur: *arg. l. 27. de admin. tut. Zoan. tract. de Imp. Rom. n. 179.* Multo minus præſcriptione qui ſe muniunt, ſubſiſtent: quæ enim illius efficacia eſſe poſſit, non obſcurè colligitur *ex l. 6. C. de præſc. 30. an. c. cum inter de conſvet. c. non licet, X. de præſcript. Geil. 1. obſ. 21. n. 16. Adde Zoan. d. tr. n. 130. Vide latè Ioach. Clut. th. 10. & ſeqq.*

28. Ex utraq; tam magiſtratus quam ſubditorum parte etiam aliquot everſionum cauſæ adferri ſolent: 1. Fœdum libidinum propudium & confuſio, ob quam non modo regna ſed & gentes exciſæ diſſipatæq; leguntur. *Geneſ. 6. & 19. Num. 25. jud. 20.* Urbs Troja opulentiſſima ob raptum Helenæ ſolo æquata fuit: Romæ regia regnandi ratio deſijt, ob ſtuprum Tarquinij Lucretiæ illatum *vide Richt. axiom. pol. 26. Bod. d. l. c. 1.*

29. 2. Luxus & ſuperbia, & quæ horum malorum cauſa, otium

otium molle, quod cives facilè in bellum vel civile vel cum vicinis impellit, & cum molles & effœminatos reddiderit, efficit etiam ut bello temere ſuſcepto, malè adminiſtrantes vincantur. Hinc rectè Catoni Cenſorio mirum fuit viſum, quomodo civitas, in qua piſciculus carius venderetur quam bos, diu ſtare poſſet: Nam qui delitijs opimantur & exſaturantur, pigri & inſolentes fiunt: Hinc ruina & interitus. *vide Richt. axiom. 166.* De ſuperbia regna evertente clara extant teſtimonia *Prov.16.18. Eſa.2.11. 1.Pet.5.5. Ariſt. 5. pol:11. Dan. 3. pol. 5.* Harum cauſarum remedia ſe ipſa notificant.

30. 3. Potentia magna, in qua vel nullum vel præceps conſilium, & inde quæ oritur ſecuritas: *Thol. 23. 7.* Ejus remedium utile cenſetur, ut potentia Magiſtratus ſuperioris, ne ultra limites præſcriptos tranſiliat, cohibeatur ab optimatibus ſeu Ephoris. inferioris 3. modis coërceatur, 1. ut alius magiſtratus, qui ejus acta impediendi facultatem habeat, opponatur: uti olim Coſs. opponebantur tribuni. 2. ut majoribus imperijs breve ſpatium concedatur. 3. poteſtas inter plures dividatur: Potentia autem ſubditorum minuitur præſcriptione certi modi diteſcendi divitiasq; honores & alia potentiæ media adquirendi. *vide de his omnibus Thol. 22. de Rep. 10. Bod. 5. de Rep. 2. Caſ. in Sphær. lib. 11. c. 5. Arniſ. 2. pol. 5. p. 539. & ſeqq.*

31. 4. Totalis ad bellum adſvefactio, quando gens ita eſt adſveta armis, ut ex ijs victum quærat: Ea enim proculdubio ſeipſam facilè tandem evertit, aut externis aut domeſticis bellis conſumit: *Dan. 3. pol. 5.* Remedium ejus erit, ut paulatim ſæpius bellorum incommodis varijs inculcatis, pacisq; commodis enumeratis, ad togam revocetur, & ad artes honeſtas cum liberales tum mechanicas incitetur. Non ita tamen otio & ſecuritati adſvefacienda, ut omnem planè armorum uſum abjiciat: Nulla enim tam fortunata civitas eſt, cujus paci non invideat, cujus libertati non inſidietur aliquis hoſtis. Improvidi vero eſt in diem ſolum vivere, & ea tantum quæ ante pedes ſunt videre, nec quæ evenire aliquando poſſint proſpicere: neq; vero ulla jacula magis feriunt, nec ulla mala vehementius urgent, quam non prævisa. Contra autem quemadmodum tutiſſimè præcavemus morbos, cum ſanitas & vires nobis ſuppetunt: ita conſul-

Digitized by Google

tiſſimè prævenimus hoſtem, cum tranquillitas & opes in civitate florent, nec oportunius unquam res bellicæ tractari poſſunt, quam cum in pace ſumus. *vide Thol. 11. de Rep. 1. Bodin. 5. de Rep. 5. Dan. 7. de Rep. 1. Eocer. de jur. belli l. 1. c. 29. Alth. c. 28.*

32. Tantum de cauſis internis, externæ, quæ foris afferuntur; ſeqq. ferè recenſentur: 1. defectio ſociorum: cujus remedium, ut comiter à ſocijs ex pacto convento colantur & habeantur: *Dan. 3. pol. 5.* 2. Rebellio eorum qui armis victi fuerant, aut ſe dediderant: *1. Reg. 11. 2. Reg. 8.* cujus remedium ut ex deditionis ll. quæ ſanctè ſervandæ, humaniter & leniter tractentur. *Dan. d. loc.* 3. irruptio barbarorum ob fertilitatem aliamve cauſam motorum: cujus remedium conſiſtit in reſiſtentia, quæ corroboratur confœderatione concordiæ & auxilij contra hoſtes cauſa contracta. *Keck. 1. Syſtem. 27. Arniſ. 2. pol. 4.* 4. diuturnitas ſeu continua frequentia externorum bellorum: cujus remedium, ut pax, quantum fieri poteſt, æquis conditionibus vel offeratur, vel oblata accipiatur: imò ſæpè etiam iniquioribus. Accidit enim ſæpiſſimè, ut qui pacem ex animi elatione ſuperbâ repudiant oblatam, ijdem ipſi poſtea eam coganrur, &quidem ſubmiſſe, poſtulare & quærere fugientem. *Bodin 5. de Rep. 5. Lipſ. 5. civ. doct. 19. & 20. Alth. cap. 30.*

33. Politices generalis doctrina methodicè & breviter hucusq; à nobis expoſita fuit: ſupereſt ſpecialis, quam, quia ipſius Reip: (ſive ea ſit in Aſia, Europa, Africa & America, ſive regnum & principatus ſive Reſp. in ſpecie ſeu civitas) cui ineſt, perfectam & accuratam cognitionem deſiderat, ejus cultori & indigenæ politico juxta methodum & ordinem generalis traditæ accuratius inveſtigandam & penſiculandam relinquimus. Deum T. O. M. ardentiſſimis ſuſpirijs rogantes, ut noſtras Reſp: tueatur, gubernet, & ſanguineum Bellonæ flagellum, quo de fœdatur florentis imago Reip: diſcutiat. Nos ſub alarum ſuarum umbra protegat & regat, quo ſemper ei grata facere, nomenq; & laudes ejus in omne ævum laudare & celebrare valeamus.

CAP.

Digitized by Google

ΠΑΡΕΡΓΑ

ex tit. *13.* & ſeqq. ad finem lib. *4.*

1. Reum pluribus exceptionibus etiam diverſis uti poſſe dicimus.

2. Exceptiones dilatorias ante, peremptorias autem poſt litem conteſtatam regulariter opponendas ſtatuimus.

3. Filium f. SCto Macedoniano renunciare non poſſe cenſemus.

4. Litem jurejurando deciſam prætextu perjurij retractari poſſe negamus.

5. Interdicta quædam in rem quædam in perſonas eſſe adſerimus.

6. Interdictum uti poſſidetis dejecto ad poſſeſſionem recuperandam dari non credimus.

7. Etiam contra fundi dominum interdicto unde vi experiri licere adſtruimus.

8. Juramentum calumniæ patrono & parentibus remittimus.

9. In alios præter Electores & Imp: conſiliarios, crimen majeſtatis læſæ propriè non committi arbitramur.

10. Pœnam

10. *Pœnam adulterij ex l. Julia capitalem fuiſſe remur.*

11. *Plures communicato conſilio, & deliberato ad occidendum animo aliquem interficientes, nec autorem certum deſignantes, omnes ordinariæ pœnæ ſubjicimus.*

12. *Illis aquam hærere, qui eâ abutuntur ad ſagarum probationem ducimus.*

13. *Etiam ad verum teſtimonium dicendum pecuniam accipientem pœnâ falſi afficiendum putamus.*

14. *Ob meritricis raptum extraordinariam pœnam imponendam ſtatuentes, laborem noſtrum hac vice concludimus.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google